237.3
P266

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deaeternitatepoe0000caro

Cu96b ASF

CAROLI PASSAGLIA

E SOCIETATE IESU

IN ROMANO COLLEGIO THEOLOGIAE PROFESSORIS

DE

AETERNITATE POENARUM

DEQUE

IGNE INFERNO

COMMENTARII

Editio prima Romana



ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLV.

22510

DE

AETERNITATE POENARUM

COMMENTARIUS PRIMUS

BIBLIORUM DOCTRINA

PRAEFATIO

Sepositos iampridem habebam hosce commentariolos pressa et omnino dialectica ratione conscriptos, mihique fixum erat illos in lucem non emittere nisi diligentius expolitos, et secundis auctos curis ac pro facultate perfectos. Ne tamen suscepto consilio tenacius inhaererem, quaedam effecerunt quae mihi neque levia neque penitus negligenda visa sunt.

Certis namque indiciis cognovi non uno in loco quaestionem de *poenarum aeternitate*, deque *igne inferno* recrudescere, et in Anglia praesertim, in Gallia, atque in Germania hanc ipsam contentionem vehementius agitari. Quapropter censui obsequendum esse opportunitati, occasionemque arripiendam communibus commodis inserviendi.

Prodeant ergo in medium, qui iam satis delituerunt, commentarii, et exiguae licet molis, argumento tamen sint illius studii quo in tutelam catholicae veritatis impensissime feror.

Scribebam in Romano Collegio IV. Kal. Febr. 1854.

Carolus Passaglia S. I.

DE

AETERNITATE POENARUM

BIBLICIS TESTIMONIIS VINDICATA

LEMMA I.

1. *Duratio* absque successione, quaeque principio et fine careat, descriptio est aeternitatis proprio, strictoque sensu acceptae.

LEMMA II.

2. Si *duratio* fine quidem careat sed non principio, proindeque *non tota simul*, sed *successiva* sit; habetur aeternitas non ἁπλῶς, sed κατά τι, et latiori significatione usurpata.

LEMMA III.

3. *Duratio* est eiusmodi, quae nonnisi *notione* et *idea* ab existentia distinguitur rei quae durat et permanet. Cum itaque unus sit Deus, cuius existentia et successionem, et principium, et finem excludit, reliqua vero omnia et incipiant, et tempori subsint; consequitur uni Deo aeternitatem proprie dictam 1) competere, reliquis autem nonnisi aeternitatem latius acceptam 2) tribui oportere.

LEMMA IV.

4. Aeternitas latius accepta simpliciter finita est, et improprie tantum infinita dici potest, quum revera *indefinita* sit. Atqui creaturis omnibus non convenit 3) nisi aeternitas latius accepta. Nihil ergo eisdem convenit, quod finitum non sit, vel *indefinitum*.

COROLLARIUM.

5. Hinc difficultati occurritur, quae ad impugnandam poenarum aeternitatem exinde petitur, quod, ea admissa, creaturae poenis infinitis

1) Qualem in Lemmate I. descripsimus.
2) Quam Lemmate II. adumbravimus.
3) Ut ex Lemmate III. colligitur.

subiicerentur. Qui sic disputant, hi ludunt verbis, et aeternitatem κυρίως dictam cum aeternitate latius accepta confundunt. Ergo poena, quae impiis adscribitur, finita est, vel *indefinita*, non infinita.

THEOREMA I.

Aeternitas poenarum iis testimoniis asseritur, quae inferni poenas diserte appellant aeternas.

6. Demonstratio. Non uno in loco vel semel, sed pluribus in locis et frequenter inferni poenae dicuntur aeternae.

Dicitur *ignis aeternus* penes Isaiam 4) et Matthaeum 5), dicitur apud Danielem 6) *ignominia aeterna:* a Paulo Apostolo 7) dicitur *aeternus interitus;* denique *caligo aeterna,* et *vincula aeterna* commemorantur in epistola Iudae 8).

Iamvero I. neque syllaba, neque apex continetur in bibliis, unde coniicere fas sit, appositum *aeterni* in adductis testimoniis latius accipi posse, aut debere. Praeterea II. neque materies orationi subiecta, neque rei natura, neque fidei analogia postulant, ut neglecto sensu proprio et obvio, sensus improprii, longius quaesiti, et metaphorici praeferantur. Ergo III. sensus verborum proprius retinendus erit. Atqui diserte, expliciteque inferni poenae dicuntur aeternae. Sunt igitur aeternae, nulloque fine concluduntur.

SCHOLION I.

7. Ut huic argumento vim detrahant qui aeternitati poenarum bellum indixere, notant: vocabulis עוֹלָם, αἰών, *aeternum*, non certam definitamque subesse notionem, sed eisdem crebro exprimi non quod aeternum est, sed quod longum et diuturnum. Id quod collectis undique exemplis confirmare satagunt 9).

4) Is. XXXIII. 14: מִי־יָגוּר לָנוּ מוֹקְדֵי עוֹלָם: *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

5) Matth. XVIII. 8: Καλόν σοί ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλόν, ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. XXV. 41: Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

6) Dan. XII. 2: *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam,* עוֹלָם וְאֵלֶּה לַחֶרְפּוֹת לְדִרְאוֹן: *et alii in opprobrium ut videant semper.*

7) II. Thess. I. 9: Οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον.

8) Iudae v. 6: Ἀγγέλους. . . . δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν: et v. 13: Οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηται.

9) De voce αἰών sic habet Iohannes Vorstius in comment. *De Hebraismis Novi Testa-*

8. Respondemus, neque collectis exemplis quidquam confici; neque aliquid ex eo erui, quod vocabula עולם, αἰών, et *aeternum*, non semper id valeant quod aeternum est.

Nihil erui ex posteriori hoc capite, duplici potissimum ratione comprobamus, *indirecta* altera, et altera *directa*.

Et I. *indirecta* quidem est haec: ageret absurde qui negaret, vocabulis *patris*, *filii*, *panis*, *corporis*, *ignis*, . . . per se, atque absolute id significari, quod patrem, filium, panem, corpus, ignem, ... dicimus. Ut proprius teneatur sensus, vulgatus loquendi usus sufficit, neque argumentis opus est; sed argumentis opus est, iisque gravissimis, ut propriae significationi metaphorica substituatur. Ergo absurde pariter agunt, qui negant vocabulis עולם, αἰών, *aeternum*, id per se atque absolute exprimi, quod finem non habet, ac perenniter durat.

Si voces עולם, αἰών, *aeternum*, aliquando adhibentur *improprie*, aliquando etiam adhibentur *improprie* nomina patris, filii, panis, corporis, ignis. . . . Ergo si ex usu interdum improprio horum nominum nefas est inferre, iis per se atque absolute non exprimi quod continuo

menti cap. II. pag. 39. seqq. edit. Lipsiae 1778: » Αἰών. Haec vox significat vulgo *aeternitatem*. Aristoteles alicubi scripsit, αἰὼν dici quasi αἰὲν ὤν. Significat item *vitam hominis*, *tempus humanae vitae*, aut simpliciter *tempus*. Hinc dicitur, αἰῶνα λείπειν, *vitam*, *tempus vitae relinquere*: item ἡδὺν αἰῶνα διάγειν, *iucundam vitam vivere*: item τὸν αἰῶνα τελευτᾶν, *vitam finire*.

» Porro eadem vox in Novo Testamento nove etiam significat *mundum*, . . . quod graeci alias κόσμον dicunt. Exemplum I. Cor. I. 20. ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου, *ubi inquisitor*, disputator, *huius mundi?* In eodem loco, cum dici posset σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου, dictum est σοφία τοῦ κόσμου τούτου. Eadem quoque vocis significatio est, ubi dicitur αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τοῦτου, ut Matth. XIII. 22., et Marc. IV. 19.

» Nec alia est, cum diabolus dicitur ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *Deus huius mundi*, ut II. Cor. IV. 4. Appellatur et alibi diabolus non eodem quidem, sed eiusdem tamen significationis vocabulo. In epist. ad Ephes. VI. 12. dicitur κοσμοκράτωρ: et Ioh. XII. 31, itemque XIV. 30. dicitur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου.

» His postremis verbis appellantur et *magnates iudaeorum*, quos et ipsi iudaei הָעוֹלָם גְּדוֹלֵי, *magnates mundi* dixerunt. Nimirum in I. Cor. II. 8. dicuntur illi οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου.

» Annon vero et Deus simili ratione alicubi est appellatus? S. Paulus quidem I. Tim. I. 17. dicit, τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, quod annon vertere licet, *regi mundi incorruptibili?* Vulgatus interpres vertit, *regi saeculorum immortali*. Sed huius versio nobis non obstat. Ipse enim ille interpres mundum non semel *saecula* vocavit. . . .

» Solent etiam scriptores sacri *mundum hunc*, et *mundum futurum* discernere. Et s. Marcus quidem cap. X. 30. sic habet: *Qui non accipiat centuplum nunc in hoc tempore*, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον, *et in mundo futuro vitam aeternam*. Eadem et in cap. XVIII. Lucae v. 30. leguntur. S. Paulus autem Ephes. II. 7. sic scribit, ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, *in mundo futuro*. Alibi dicitur αἰὼν ὁ μέλλων, ut Matth. XII. 32, Hebr. VI. 5, Eph. I. 21. . .

» Sed tempus est de novae significationis origine disquirere. Coepit igitur vox αἰὼν significare *mundum*, quod ea vox alio quodam significatu, *aeternitatis* puta, conveniret cum quadam hebraea voce, quae non tantum *aeternitatem* sed et *mundum* significat, nimirum cum voce עוֹלָם. Quod haec hebraea vox *aeternitatem* significet, id vulgo notum est. Quod vero et *mundum* significet, eius exemplum est Eccles. III. 11, ubi quidem verba sic habent: *Omnia fecit pulchra in tempore suo.* »

intelligimus auditis nominibus patris, filii, ... eodem pacto ex usu interdum improprio vocum עולם, αἰών, *aeternum*, nefas est inferre, illas per se atque absolute in proprio et obvio sensu accipiendas non esse.

Uno verbo, id sibi persuadeant necesse est, qui improprios et exquisitos consectantur sensus: admitti hos, probarique non posse, nisi certis confirmentur rationum momentis. Quamdiu haec desint, vel non afferantur, tamdiu legitimae interpretationis canones exigunt, ne a propria communique significandi virtute recedamus.

Succedit II. ratio *directa*. Quaero igitur, an aliquando, an frequenter voces עולם, αἰών, *aeternum*, in bibliis id denotent, quod perpetuum est, et fine caret? Imperitissimus sit, qui hanc frequentissimam significationem in dubium revocet. Qua ergo utemur regula, ut certo statuamus, quando frequentissima haec significatio, et quando altera ac impropria accipi debeat? Regula haec erit: ut frequentissima significatio toties accipiatur, quoties neque in contextu limitationis vestigium occurrit, neque limitatum sensum postulant vel rei natura, vel bibliorum et fidei analogia. Atqui neque rei natura, neque bibliorum et fidei analogia exigunt, ut poenae improbis inflictae desiturae credantur; et contextus, unde testimonia desumpsimus 10), ne umbram quidem continent limitationis. Ergo non impropria et limitata, sed propria et absoluta significatio ea est, quae accipi debet.

9. Iam ad exempla quod attinet, animadverto: ea omnia et singula abs re esse, et duplici quidem de caussa. Aut enim ex errore eisdem tribuitur limitatus sensus; vel si merito, ideo est, quia limitationis neque obscura, neque dubia suppetunt indicia.

Limitatus sensus male iis affingitur testimoniis, quae statutis legalibus *aeternitatem* plus semel vindicant. Neque enim aeternitas eisdem asseritur in se spectatis, sed comparate ad antitypum, qui aeternus futurus erat, et cuius illa umbrae fuerunt et imagines. Unde in eiusmodi locis ea obtinet loquutionis figura, qua *signo* ea tribuuntur, quae *rei signatae* propria sunt.

Rursum, limitatus sensus iis testimoniis male affingitur, quibus praedicitur fore, ut animadversio Dei, licet temporalis, in improbos sit *aeternum* duratura. Etenim aeterna duratio ideo animadversioni temporali adscribitur, quod haec 11) spectetur veluti inchoatio quaedam animadversionis, quae improbos manet in altera vita.

Item, limitatus sensus iis testimoniis immerito affingitur, quibus *aeternitas terrae* 12), et *corporum coelestium* 13) depraedicatur. Nuspiam

10) Vide n. 6.

11) Ierem. XXV. 9: *Interficiam eos, et ponam eos in stuporem et in sibilum, et in solitudines sempiternas.* LI. 39: *In calore eorum, ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus.*

12) Eccles. I. 4: *Generatio praeterit, et generatio advenit; terra autem in aeternum stat.*

13) Ps. CXLVIII. 6: *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi; praeceptum posuit, et non praeteribit.*

enim in bibliis *omnimoda* terrae, et coelestium corporum destructio significata reperitur.

Denique, male ad limitatum sensum coercetur quod legimus in Geneseos libro 14): *Erit foedus meum in carne vestra* לִבְרִית עוֹלָם *in foedus aeternum.* Etenim legitimus horum verborum sensus est: Erit signum foederis mei in carne vestra in signum foederis aeterni, illius nimirum foederis, quo 15) eidem promiserat, se illi fore in Deum. Huc pariter faciunt quae habentur in Numerorum libro 16): *Omnes primitias sanctuarii... tibi dedi, et filiis ac filiabus tuis, iure perpetuo; pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.*

10. Neque propterea contendimus in omnibus omnino, atque singulis textibus voci עולם notionem subesse durationis nullis limitibus circumscriptae; immo ultro damus aliquot afferri textus posse, in quibus עולם tantumdem valeat ac diuturnum: verum et illud addimus, ex his textibus nullum esse, cui indicium minime dubium istius limitationis non insit.

Inest, dum עוֹלָם construitur cum דורות, quemadmodum in capite nono Geneseos 17), ubi iris signum ponitur לְדֹרֹת עוֹלָם *in generationes saeculi;* et in pluribus Exodi locis 18), ubi Aaronis filiis sacerdotium promittitur לְכְהֻנַּת עוֹלָם לְדֹרֹתָם *in sacerdotium saeculi in generationibus eorum.* Cum enim דורות nomine humanae designentur generationes, illico se limitatio prodit, qua phrasis debet intelligi.

Inest, dum עוֹלָם construitur cum voce חוק in phrasi sane non rara חֻקַּת עוֹלָם *statutum sempiternum* 19), qua caeremoniales leges designantur. Has enim fore temporarias et desituras, quum primum novum foedus institueretur, universa, qua late patet, clamat Scriptura.

11. Porro non satis assequor, quid sibi voluerit Daniel Huetius in *Origenianis* 20) scribens: « Αἰών non infinitum, sed indefinitum tempus designare, patet ex Lucae verbis 21): *Et regnabit in domo Iacob in aeternum,* εἰς τοὺς αἰῶνας. Nam si id spatium temporis interminatum exprimeret, quorsum adderetur: *Et regni eius non erit finis?* Id sibi ergo vult Lucas, sive potius Gabriel: obtinebit ille quidem in domo Iacob regnum diuturnum ac nullo fine carituram. » Verum neque concinna, neque necessaria est haec interpretatio.

14) Gen. XVII. 13.

15) Ibid. v. 7: *Et statutum pactum meum inter me et te,* et *inter semen tuum post te in generationibus suis, foedere sempiterno; ut sim Deus tuus et seminis tui post te.*

16) Num. XVIII. 19.

17) Gen. IX. 12.

18) Ex. XII. 14-17. XXVII. 21, XL. 13. etc.

19) Ex gr. Exod. XXVIII. 43, quem locum Vulgatus reddit: *Legitimum sempiternum erit Aaron, et semini eius post eum.*

20) Libro II. q. XI. §. 26.

21) Luc. I. 33.

Non *concinna*, quandoquidem vix purgari possit tautologiae vitio.

Non *necessaria*, siquidem in verbis, quae ἀμέσως consequuntur, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος, particula καί tamquam exegetica vel aetiologica spectari potest, adeo ut ratio reddatur, cur Christi regnum duraturum sit εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ad haec, supponi non immerito potest, unam eamdemque rem, videlicet perpetuam regni Christi durationem, duplici distinctoque modo loquendi efferri, aiente altero: *regnabit in domo Iacob in aeternum;* et altero negante: *illius regnum nullo claudetur fine.*

Tandem perspicuum est, verba angeli referri ad complura prophetarum oracula, quae iam impleri in Christo debebant. Nihil ergo mirum, si duplici phrasi, altera affirmante, et negante altera usus sit, ut quae illa fuerint, in memoriam luculentius revocaret: usus sit phrasi affirmante, ut exprimeret *regnum aeternum* Messiae, quod fuerat praedictum in Psalmis 22) et a Daniele 23); et usus sit phrasi negante, ut illius *regnum sine fine* itidem praedictum ab Isaia 24) efferret: paucis, idcirco duplicem formam negantem et aientem adhibuerit, quod duplici itidem forma negante et aiente perpetua regni Messiae duratio fuerit praenunciata.

Quare non est, cur notio vocabuli αἰών restringatur, praesertim cum haec limitata acceptio neque satis apte cum eiusdem etymo componatur: est enim αἰών ab ἀεὶ ὤν, *quod semper est.*

SCHOLION II.

12. Qui socinianae sunt factionis, alia praeterea exceptione utuntur, et cum Wolzogenio 25) notant, « Ignem aeternum non vocari eum, in quo res ei iniecta aeternum uritur, nec umquam consumitur, sed qui ita rem exurit et consumit, ut illa in aeternum non restituatur in integrum, vel qui tamdiu ardet donec res illa plane et in totum comburatur. »

Sed exceptio est haec vere sociniana, et qua nihil accommodatius ad evertendas omnes loquendi regulas. In phrasi πῦρ αἰώνιον, aeternitas est attributio ignis: at in sociniana expositione, aeternitas est attributio effectus per ignem, qui non sit aeternus, producti. Quid quod πῦρ sive *ignis*, qui alibi dicitur αἰώνιον, penes eumdem Matthaeum 26) audit ἄσβεστον? Sed de hac denominatione, et argumento quod ex ea petitur, paullo inferius.

22) Ps XLV. 7. (iuxta hebr.): *Sedes tua Deus in saeculum saeculi;* LXXXIX. passim etc.

23) Dan. II. 44: *Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur; . . . et ipsum stabit in aeternum.* Et VII. 14, 27: *Cuius regnum, regnum sempiternum est.*

24) Is. IX. 7: *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, ... amodo et usque in sempiternum.*

25) Ad Matth. XVIII. 8.

26) Matth. III. 12: Τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.*

THEOREMA II.

Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus eaedem duraturae dicuntur in saecula saeculorum.

13. Demonstratio. Duratio poenarum, quae scelestos manent, hac periphrasi a Iohanne apostolo describitur in Apocalypsi 27): *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum*, εἰς αἰῶνας αἰώνων. Et in eodem libro 28): *Et fumus eius ascendit in saecula saeculorum*, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Et rursum 29): *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Sed numero plura, eademque efficacissima sunt argumenta, quibus convincitur, periphrasi εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων durationem describi, quae fine careat, nulloque limite concludatur.

Convincitur I. indole ipsa periphrasis omnem limitationem excludentis, quandoquidem duplicatio eiusdem nominis, qua constat, indicium sit evidentissimum gradus superlativi. Unde Glassius 30) hunc statuit canonem 31): « Superlativum efferri per substantivum in genitivo casu seipsum regens. Exod. XXVI. 33: *Et dividet velum inter sanctitatem*, וּבִין קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים *et inter sanctitatem sanctitatum*, hoc est, sanctissimum. N. III. 32. וְנָשִׂיא נְשִׂיאֵי הַלֵּוִי *et princeps principum Levi, Eleazar filius Aaron*, id est, summus princeps ordinis levitici. I. Tim. VI. 15. Deus vocatur ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων. Apoc. I. 6: *Ipsi gloria et robur* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Capp. XVII. 14, et XIX. 16. agnus, seu Christus vocatur κύριος κυρίων καὶ βασιλεὺς βασιλέων. Quae constructio non adeo scriptoribus sacris propria est, ut nulla eius exempla in profanis quoque auctoribus reperiantur 32). »

Convincitur II. ea oppositione, quae instituitur inter *millenium* regni sanctorum et *saecula saeculorum*, quae tribuuntur praemiis iuxta ac poenis post iudicium 33).

Convincitur III. si attendatur ad vaticinium Isaiae, e quo verba divinae apocalypseos auctor mutuatur. Praedicit Isaias 34) Dei in omnes gentes, atque in Idumaeam potissimum ultionem, illamque ita depingit; *Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur, et erit*

27) Apoc. XIV. 11.
28) Apoc. XIX. 3.
29) Ibid. XX. 10.
30) Libro I. tractatu I.
31) Numero XVI.
32) Conferatur Vorstius in *Philol. Sacr.* pag. 328.
33) Apoc. XI. 15: *Factum est regnum huius mundi, Domini nostri et Christi eius, et regnabit in saecula saeculorum.* Ibid. XX. 10. *Bestia et pseudopropheta cruciabuntur in saecula saeculorum.* Coll. Dan. VII. 18· *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in saeculum, et saeculum saeculorum.*
34) Is. XXXIV. 9-11.

terra eius in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius: a generatione in generationem desolabitur, in saecula saeculorum non erit transiens per eam. Porro ex duobus alterutrum: aut verba desunt, quibus desolatio perpetuum duratura describatur, aut eiusmodi omnino sunt, quae adhibet Isaias, et Iohannes imitatur.

Convincitur IV. inductione locorum omnium, in quibus haec periphrasis εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων recurrit. Ea autem numquam in versione alexandrina legitur, et in Novo Testamento adhibetur dumtaxat vel de felicitate electorum 35) et de gloria, quam ipsi Deo referunt, et quam vicissim a Deo in coelis accipient 36), vel de vita immortali, qua post resurrectionem Christus fruitur 37), vel de perpetuo Christi regno 38), vel denique de ipsa vita Dei 39). Itaque periphrasis est haec, quae quoties usurpatur, iis exceptis locis, de quorum significatione sumus solliciti, toties durationem exprimit nullis conclusam finibus. Ergo inserviunt turpiter hypothesi, et pugnant contra certam exploratamque significationem, qui periphrasin εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων de poenis adhibitam, quibus improbi mulctantur, ad certam quamdam, eamque desituram durationem coercent.

Convincitur V. accurata consideratione verborum Apocalypseos 40): Καὶ ἓν ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων ἔδωκε τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις ἑπτὰ φιάλας χρυσᾶς, γεμούσας τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiae Dei viventis in saecula saeculorum.* Sed quorsum haec vitae Dei aeternum duraturae descriptio? ut intelligatur, quae quantaque sit vis indignationis illius, qua improbos persequitur. Atqui amplificandae exagerandaeque magnitudinis vindictae, cui improbi obnoxii sunt, nullatenus conduceret vitae Dei perpetuum duraturae imago, nisi hic existeret sensus: vindictam in improbos tamdiu duraturam, quamdiu vivit Deus.

Convincitur VI. collatione phraseos εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων cum respondente hebraica עוֹלָם וָעֶד. Hanc enim illi respondere constat, tum ex solemni δοξολογίᾳ Dei quam in Psalmis legimus 41), et ad quam respicit in Apocalypsi Iohannes; cum ex paraphraste chaldaeo, qui hebraicam phrasim עולם ועד reddit עלמי עלמין, quae cum graeca dictione omnino consonat. Iamvero hebraica phrasi עולם ועד *in saeculum*

35) Apoc. XXII. 5: *Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum.*

36) Gal I. 5: *Cui est gloria in saecula saeculorum;* coll. Philipp. IV. 20, I. Tim. I. 17, II. Tim. IV. 18, Hebr. XIII. 21, I. Petr. IV. 11, V. 11, Apoc. I. 6, V. 13, VII. 12.

37) Apoc. I. 18: *Et fui mortuus, et ecce sum vivus in saecula saeculorum.*

38) Apoc. XI. 15.

39) Apoc. IV. 9, 10, V. 14, X, 6: *Et iuravit per viventem in saecula saeculorum, qui creavit coelum et ea quae in eo sunt;* coll. XV. 7.

40) Apoc. XV. 7.

41) Ps. CXIV. 1, 2: *Exaltabo te Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in saeculum et in saeculum saeculi,* לְעוֹלָם וָעֶד.

et adhuc aeternitatem exprimi, nemo neget qui praeterea animadvertat, hanc aequipollere alteri, eidemque frequentiori 42) מֵהָעוֹלָם וְעַד־הָעוֹלָם. Ergo etiam phrasi εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων notio subest aeternitatis.

Sed hac phrasi duratio effertur poenarum, quibus improbi plectuntur. Aeternae igitur sunt poenae, quibus Deus in impios animadvertit.

SCHOLION I.

14. Verum sunt qui reponant, hanc infringi conclusionem, quod textus suppetant, in quibus phrasis εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων durationem exprimit aliquando finiendam. At ego nego, eiusmodi textus haberi: nego vel unum afferri locum posse, in quo phrasi εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων alia subsit quam perpetuae durationis notio: atque tandem nego, praeter commemoratos a nobis 43) alios adesse textus in quibus phrasis εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων occurrat. Quare huic obiectioni fit satis, negata hypothesi. Quod si cui ista non sufficiant, is denuo recolat quae superius 44) disputavimus.

SCHOLION II.

15. Sed aiunt, nonne phrases לָעַד לְעוֹלָם, וְעַד־עוֹלָם, et בְּדוֹר דּוֹרִים alteri plane respondent עוֹלָם וָעֶד? atqui illae frequenter in Psalmis occurrunt 45), neque tamen perpetuam significant durationem.

Nego priores phrases posteriori respondere: nego illas huic esse geminas. In illis עַד praecedit, in hac subsequitur.

Rursum nego, eiusmodi esse adductos textus, ut intelligi nequeant de aeternitate, sed quae cum subiecto congruat, quo de agitur. Subtiliter monuit Gussetius ad vocem עולם, nativam eiusdem significationem hanc esse, ut ubique denotet durationem rei, quanta esse debet, seu עולם idem valere ac durare tamdiu, quamdiu durare res debet. Atqui impiorum animae immortales sunt. Ergo quum עולם ad eas refertur, durationem exprimit finis expertem.

42) I. Chron. XVI. 36, XXIX. 10, Nehem. IX. 5, Ps. XLI. 14, CVI. 48: *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum.*

43) Praeced. n. 13.

44) Scilicet nn. 7. seqq.

45) Ps. CXI. 8, 10: *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi,* לָעוֹלָם לָעַד. CXLVIII. 6: *Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi:* לָעַד לָעוֹלָם. CIV. 5: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi,* וָעֶד עוֹלָם CII. 25: *Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem et generationem,* בְּדוֹר דּוֹרִים *anni tui.* Cf. C. 5, CXLV. 10, XXXIII. 11.

SCHOLION III.

16. At nonne in Ieremiae prophetia 46) legimus: *Habitabo apud vos in hac terra, quam dedi patribus vestris* לְמִן־עוֹלָם וְעַד־עוֹלָם *a saeculo in saeculum?*

Utique id legimus, sed quid propterea? iam monuimus 47) voce עולם perpetuitatem quidem significari, sed quae subiecto respondeat, cui tribuitur. Ergo phrasis ועד עולם suam retinet significationem, sed attributionis subiecto attemperatam.

Ad haec, abunde probavit Noldius, praefixum , quamquam plus semel vacet, interdum tamen notare *immo*, *quin immo*, *usque ad*. Ergo Ieremiae verba sic reddi possunt: *habitabo apud vos in hac terra, immo* habitabo apud vos *a saeculo in saeculum;* ut una eademque oratione plenus consummatusque fructus initi cum Deo foederis explicetur.

Tandem, quod urgemus maxime, est usus loquendi apud scriptores Novi Testamenti. Sed apud scriptores Novi Testamenti ne semel quidem phrasis εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων aliud denotat, quam aeternitatem fine carentem.

SCHOLION IV.

17. Postrema superest difficultas, quam Ludovicus Gerhardus, et Petersenius in *Dialogis* 48) promovent. Aiunt ergo ad omnimodam coelestis felicitatis aeternitatem explicandam addi in bibliis nomen πάντες, quod nullatenus fit, quum de poenis agitur. Hinc tria proferunt testimonia, primum ex epistola ad Ephesios 49): εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων: alterum ex epistola Iudae 50): νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας: et ultimum ex Psalte 51): ἡ βασιλεία σου βασιλεία πάντων τῶν αἰώνων, כָּל־עוֹלָמִים.

Sed quod mireris, exempla sunt haec quae a scopo penitus abludunt. Abludunt a scopo alterum et tertium, quum phrasim εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων non contineant. Abludit a scopo primum, in quo legimus non abstractam phrasim πάντες αἰῶνες, sed concretam πάσας γενεάς. Itaque sincera ratio additionis est haec, quod voce πάντες suppletur ellipsis. Dicam istud ipsum clarius: cum non αἰῶνες τῶν αἰώνων, sed nude αἰῶνες commemorentur, elliptica oratio suppletur adiecta voce πάντες.

46) Ierem. VII. 7, XXV. 5.
47) Praeced. n. 15.
48) T. I. p. 27.
49) Eph. III. 21: *Ipsi gloria in ecclesia, in omnes generationes saeculi saeculorum*
50) Iudae v. 25: *Soli Deo Salvatori nostro . . . imperium et potestas ante omne saeculum, et nunc, et in omnia saecula.*
51) Ps. CXLV. 13: *Regnum tuum regnum omnium saeculorum.*

THEOREMA III.

Aeternitas poenarum iis testimoniis efficitur, quibus diserte atque explicite earumdem finis negatur.

18. Demonstratio. Quae futura sit duratio poenarum, quae improbos manent, declarat Iohannes Baptista contestans 52), quod Deus *paleas comburet igni inextinguibili*, πυρὶ ἀσβέστῳ. Eadem apud Lucam 53) repetitur phrasis, quum Iohannis κήρυγμα refertur. Ipse autem Christus 54) docet, longe satius hominibus esse temporalia quaevis deperdere, quam ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, *ire in gehennam, in ignem illum inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.*

Iamvero plura heic digna sunt, quae adnotentur.

I. Si duratio numquam desitura describenda esset, quaenam, obsecro, verba sive luculentiora, sive efficaciora possent adhiberi?

II. Nemo est qui non persentiat vim propositionum absolute negantium. Eae limites reiiciunt, infinite excurrunt, nulloque ambitu contineri possunt. Atqui et Iohannes et Christus propositiones usurpant absolute negantes: ille cum poenalem ignem vocat ἄσβεστον, *inextinctum* et *inextinguibilem:* hic quum idem ingeminat, atque praeterea addit, τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, *ignis non extinguitur.*

III. Verba Christi desumpta sunt ex oraculo Isaiae 55). Sed quod Christus dicit, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, tempore praesenti, apud Isaiam est, tempore futuro, וְאִשָּׁם לֹא תִכְבֶּה, qua temporis forma vividius etiam exprimitur aeternitas.

IV. Quemadmodum Isaias, ita et Christus cum igne qui non extinguetur, iungit et sociat vermem non moriturum. Sed quid *vermis* nomine exprimitur? Quod apud Marcum est ὁ σκώληξ, apud Isaiam est תּוֹלַעַת. Atqui voce תּוֹלַעַת proprie designari *vermiculum rubrum*, *coccineum*, certis argumentis demonstrarunt Bochartus 56) et Braunius 57). Rursum collatione cum alio Isaiae loco 58) apparet, תּוֹלַעַת sive תּוֹלָע typum esse et imaginem intrinsecus manentis peccati. Quare Christus, qui pro peccatis semetipsum obtulit sacrificium Deo, sicut *peccatum* audit, ita in Psalmis תּוֹלָע nuncupatur 59). Ergo metaphorica quidem

52) Matth. III. 12.
53) Luc. III. 17.
54) Marc. IX. 42-43.
55) Is. LXVI. 24: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.*
56) *Hicrozoici* P. II. libro IV. capito XXVII.
57) De *Vestibus sacris* libro I. cap XV.
58) Is. I. 18: *Si fuerint* peccata vestra *rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt.*
59) Ps. XXII. 7: *Ego autem sum vermis, et non homo.*

loquutione, sed cuius determinatus est sensus, iungit simul Christus et ignem numquam extinguendum, et peccatum, quo improbi semper et inficientur et torquebuntur. Scilicet iungit simul effectum et caussam, quasi diceret: tamdiu durare poena debet, quamdiu permanet culpa, quae inflictae poenae caussam continet. Atqui improborum, qui vita functi sunt, peccata desinunt numquam, numquam abolentur, inficiunt semper. Ergo neque poena aliquando desinet, sed aeternum durabit.

SCHOLION I.

19. Quasi vero, reponunt sociniani, desiderentur bibliorum textus, in quibus finem non habere dicantur ea, quae utique desitura sunt. Ecce in prophetia Isaiae 60) et Nahum 61) dicitur: *thesauros eorum non habere finem:* et penes Iobum 62): *iniquitatum tuarum non est finis.* Idem repetitur de *labore* 63), de *libris* 64), et in epistola prima ad Timotheum 65) memorantur *genealogiae finem non habentes.*

Sed quid istud est nisi fucum facere, et quae disiunctissima sunt, veluti similia et gemina comparare?

Etenim I. praeferunt ne hi textus eam emphasim, quam superius 66) notavimus? Eadem ne adiuncta hos et superiores textus comitantur?

Praeterea II. quis non continuo perspiciat, haec duo ab invicem toto coelo discrepare: et quod aliquid sit, quod respectu nostri fine carere dicatur, quia finem numerando non attingimus: et quod aliquid ab ipso Deo veluti numquam desiturum proponatur?

Denique III. rectissimae sunt loquutiones *in praesenti* adhibitae, quibus *thesauri, peccata, libri, labores finem non habere* dicuntur, quandoquidem et actu continuentur, et finem nondum attigerint. Sed quid cum his commune habet divina sanctio, qua poenae improbis destinatae numquam desiturae, atque iugiter duraturae perhibentur?

SCHOLION II.

20. Petersenius in *Colloquio de restitutione omnium* 67) difficultatem ex illis ipsis instaurat, quae ex Marco 68) allegavimus. Nam, inquit, particula ὅπου, *ubi*, ideo a Servatore adhibetur, quia neque vermis damnatorum morietur, neque extinguetur ignis, quamdiu in gehenna

60) Is. II. 7: *Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum eius.*

61) Nah. II. 9: *Et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.*

62) Iob. XXII. 4, 5: *Numquid timens arguet te, ... et non propter ... infinitas iniquitates tuas?*

63) Eccle. IV. 8: *Laborare non cessat.*

64) Ibid. XII. 12: *Faciendi plures libros nullus est finis.*

65) I. Tim. I. 4: *Neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis*, καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις.

66) Sup. n. 18.

67) Vol. I. p. 246.

68) Marc. IX. 42, 43.

manebunt. At quis exinde colligat, illos in gehenna mansuros semper? Immo, pergit, quae paullo post sequuntur 69), demonstrant, finem praestitutum esse aliquem gehennae; nam is est Christus qui addit: *Quisquis enim igne salietur, et unaquaeque hostia sale salietur.*

Sed et futilis est ratio ex particula ὅπου quaesita, et nullum illi robur ex confirmatione accedit.

Itaque ignis absolute dicitur ἄσβεστος, et de verme absolute pronunciatur, quod morietur numquam. Particula autem ὅπου locum respicit, in quo neque ignis extinguitur, neque vermis moritur. Consequitur ergo, gehennae locum esse sempiternum, quia et sempiternus est ignis, qui ardere in gehenna debet, et sempiternus est vermis, qui in gehenna detentos torquet et macerat. Quid quod penes Isaiam nulla occurrit eiusmodi particula, sed absolute dicitur vermis eorum non moriturus?

Iam pauca de confirmatione. Quod *sal* commate quadragesimo octavo spectetur veluti typus caritatis fraternae, quam sibi mutuo homines debent, ostendit expositio ipsa Christi contenta commate quadragesimo nono. Quid ergo hoc ad rem? An forte promi exemplum potest, quo vel levissime innuatur, reprobos inferni cruciatibus addictos considerari tamquam sacrificia Deo oblata, et hostiarum Veteris Testamenti antitypos? Igitur obiectas difficultates disiecimus, et quod instituimus argumentum, ratum manet atque fixum.

THEOREMA IV.

Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus duratio praemii divinitus constituti cum poenae duratione confertur.

21. Demonstratio. Haec comparatio splendidissime elucet ex verbis Christi 70): Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι, scelesti, εἰς κόλασιν αἰώνιον· οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Et ibunt hi in supplicium aeternum* 71): *iusti autem in vitam aeternam.*

Cum quibus conferri omnino ista debent apud Danielem 72): *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant* 73) *semper.* Interpretes alexandrini vertunt: Καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν τῷ πλάτει τῆς γῆς ἀναστήσονται, οἱ μὲν εἰς ζωὴν αἰώνιον, οἱ δὲ εἰς ὀνειδισμὸν, οἱ δὲ εἰς διασποράν, καὶ αἰσχύνην αἰώνιον. *Et multi dormientium in latitudine terrae exurgent, alii quidem in vitam aeternam, alii autem in opprobrium, alii vero in dispersionem et confu-*

69) Ibid. v. 48. Vulgatus: *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.*

70) Matth. XXV. 46.

71) Quemadmodum paullo ante lata fuit a summo iudice sententia, v. 41: Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ, οἱ κατηραμένοι, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.*

72) Dan. XII. 2.

73) Forte, *vileant*, quae est eruditorum coniectura.

*

sionem sempiternam. Theodotio autem: Καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χώματι ἐξεγερθήσονται, οὗτοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ οὗτοι εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον. *Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, et in confusionem aeternam.*

22. Itaque quod Vulgato et Theodotioni est, *in pulvere terrae*, ἐν γῆς χώματι, alexandrini interpretantur ἐν τῷ πλάτει τῆς γῆς. Sed textus habet: אַדְמַת־עָפָר, id est, ut vulgo exponunt, *terra pulveris.* Atqui nihil impedit, quominus אַדְמַת־עָפָר vertantur ἐν τῷ πλάτει τῆς γῆς, *in superficie terrae.* Nam quatuor radices דמם, דמה, דום et אדם, origine inspecta, in unam eamdemque *linendi* notionem conveniunt, ex qua deinceps vivo linguae usu diversissimae effloruerunt significationes secundariae. *Linendo* conformatur *superficies*, hinc אֲדָמָה proprie *superficies*, κατ' ἐξοχήν *superficies terrae*, atque inde ipsa *terra.* Quare alexandrina interpretatio nullatenus censeri potest a veritate textus aliena.

A textu potius abludit repetita distributio οἱ δέ, οἱ δέ, qua et textus ipse, et versiones carent.

Denique quaeri potest, unde alexandrini desumpserint illud εἰς διασποράν, quod et in textu, et in versionibus desideratur. Itaque textus legit: וְאֵלֶּה לַחֲרָפוֹת לִדְרָאוֹן עוֹלָם, *et alii* evigilabunt *ad probra, ad nauseam perpetuam.* Sed דרא, unde דִּרָאוֹן, eiusmodi est verbum, quod apud arabes significat non modo pestifera plaga laborare, verum etiam *spargere.* Ergo alexandrini idcirco iunxere simul εἰς διασποράν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον, quod utramque τοῦ דרא notionem exprimere vellent.

Sed de his plus satis; ad argumentum ipsum regrediamur.

23. Edicit Christus, reproborum poenam fore aeternam, quemadmodum aeterna futura est iustorum vita. Praeclare, sed quae erit aeternitas vitae iustorum? num impropria, et quae tandem finem habeat? Nemo id affirmare ausit. Ergo perpetuo vivent iusti, et ipsorum felicitas nullo fine claudetur. Sed eadem cum vitae et felicitati iustorum, tum reproborum poenae duratio adscribitur. Ergo sempiterna erit et finis expers animadversio, qua reprobos Deus mulctabit.

Si qui dissentiant, hi necesse est propugnent in uno eodemque perbrevi contextu, quo *supremi iudicis sententia* continetur, unum idemque vocabulum aequivoce accipi: necesse est propugnent, *sententiam* ipsam esse *aequivocam*, et ibi incerta atque dubia adhiberi vocabula, ubi certitudo et determinatio potissimum efflagitantur. Exciperetur communi irrisione, qui in humani iudicis sententia improprios sensus et metaphoras consectaretur. Ergo ne aequo patiemur animo, ut ad improprios sensus et metaphoras divini iudicis verba detorqueantur?

Quare decretorium plane est argumentum, quod ex verbis Christi Augustinus informat 74): « Christus in uno eodemque loco, in una ea-

74) *De Civitate Dei*, libro XXI. capite XXIII.

demque sententia dixit: *ibunt isti in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.»

24. Eodem spectat aliud Christi testimonium a Iohanne 75) relatum: Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται τὴν ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Duo heic consideranda sunt, et phrasis in se, et oppositio. *Phrasis in se* est, quod impii non videbunt vitam, et ira Dei super illos manebit. Sed quamdiu non videbunt vitam? Quamdiu pondus irae divinae ferent? Loquutio est infinita, neque ulla spes eisdem fit vitae aliquando videndae. Immo omnis spes praeciditur. Unde enim hanc spem conciperent? Quod in illos Deus esset misericors? Atqui pronunciatur absolute, *iram* Dei *manere* super illos, non illos attingere et transire, sed super illos stabilem perdurare.

Accedit *oppositio*, quae instituitur inter *credentes* et *incredulos*, *praemium* illorum, atque horum *poenam*. De illis affirmatur, quod habebunt vitam *aeternam*, at his vita denegatur. Sed quae denegatur vita? Nimirum quae aeterna sit. Addicuntur ergo morti sempiternae.

Quod, ni toto coelo fallor, quantum satis est, declaratur ea additione, ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. Hac periphrasi suppletur omissio vocis τοῦ αἰωνίου, quum dicitur, οὐκ ὄψεται τὴν ζωήν, et non οὐκ ὄψεται τὴν ζωὴν αἰώνιον, quemadmodum instituta oppositio exigere videbatur. At si periphrasi, ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν, omissio suppletur vocis τοῦ αἰωνίου, qui suberit sensus verbis Christi? Hic et non alius: increduli non videbunt vitam, sed aeternis mulctabuntur poenis, quia numquam ab illis divina indignatio recedet, quia semper illos Dei ira persequetur. Unde de impiis scriptum est 76): עַד־נֵצַח לֹא יִרְאוּ־אוֹר, *in sempiternum non videbunt lucem.*

THEOREMA V.

Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus spes omnis damnatis adimitur futurae aliquando redemptionis vel liberationis.

25. Demonstratio. Nulla esse potest a poena liberatio, quam iudex nexam sociatamque voluerit cum conditione, quae ut impleatur, fieri ne-

75) Ioh. III. 36. 76) Ps. XLIX. 20.

quit. Atqui damnatorum ab inferni poenis liberationem cum ea conditione nexam, copulatamque voluit Deus, quae fieri non potest, ut impleatur.

Conditio quae sit, non uno in loco describitur. Describitur penes Matthaeum 77): Ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

Describitur penes eumdem 78): Καὶ ὀργισθεὶς ὁ κύριος αὐτοῦ παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ. *Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.*

Describitur penes Lucam 79): Λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως οὗ καὶ τὸ ἔσχαλον λεπτὸν ἀποδῷς. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.*

Ergo conditio liberationi adiecta haec est, ut qui inferni poenis puniuntur, perfecte debitum exsolvant, quod illos poenae subiicit, et quo adversus Deum obstringuntur. Atqui conditio est haec, quam implere reprobi nequeunt.

Impares eos esse huic conditioni implendae docemur analogia fidei, et docemur Christi verbis, quibus diserte dicitur 80) improbis non suppetere, unde pro contracto debito solvant. Ergo nulla esse potest reproborum liberatio. Ergo aeternae sunt poenae, quibus plectuntur.

26. Egregie huius vim argumenti et persensit et explicavit Hieronymus 81): « Qui semel illuc ingreditur, ulterius egredi non permittetur. Quod ipsa Veritas in evangelio ostendit dicens: *Esto consentiens . . ., non exibis inde, donec persolvas novissimum quadrantem.* Quemadmodum ibi intelligitur, ubi dictum est, *oportet eum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis*, semper illum regnaturum, quoniam semper illi erunt inimici sub pedibus; ita et hic accipi potest dictum, non exibis donec persolvas, semper non exiturum esse, quia semper solvet novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas terrenorum peccatorum luit. »

Respicit nimirum Hieronymus ad eam vim particulae *donec*, ἕως, עַד, qua non *terminus* temporis, sed eius *duratio* significatur, uti in Psalmo 82): *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam,* עַד־אָשִׁית, *interea dum ego hostes tuos tibi subiiciam.* Et in Genesi 83): *Non deseram te,* עַד־אֲשֶׁר, *donec perfecero id quod loquutus sum tibi*, hoc est, te numquam deseram; sunt enim aeternae promissiones Dei in Christo 84). Similiter apud Matthaeum 85): *Non cognoscebat eam*, Iosephus Mariam,

77) Matth. V. 26.
78) Ibid. XVIII. 34.
79) Luc. XII. 59.
80) Matth. XVIII. 25: *Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius venumdari.*
81) In Comm. ad Thren. I.
82) Ps. CX. 1.
83) Gen. XXVIII. 15.
84) I. Tim. IV. 8.
85) Matth. I. 25.

ἕως οὗ *donec peperit filium suum primogenitum*. Quo testimonio quum abuteretur Helvidius, in gravissimas incidit Hieronymi reprehensiones.

27. Argumentum ab eo quod proposuimus non admodum diversum colligi ex iis potest, quae Christus dicit penes Matthaeum capite duodecimo 86), quod *blasphemia contra Spiritum sanctum* οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι 87), οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, *non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.*

Sed quorsum mentio saeculi futuri? Ut demonstretur, blasphemiam contra Spiritum sanctum numquam remitti; ac si diceretur, id criminis *aeque parum in hoc quam in futuro saeculo remitti*. Quae loquendi forma veluti exploratum assumit, in futuro saeculo nullam esse reliquam peccatorum remissionem.

Illustrari ista possunt ex loco parallelo apud Marcum 88): Ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus est aeterni delicti.* Ergo phrasis, *neque in hoc saeculo, neque in futuro* aequivalet alteri, *numquam, in aeternum*; et quum de peccatorum remissione adhibetur, tamquam notum compertumque sumitur, in altera vita locum non esse remissioni.

At si remissionis tempus hac vita concluditur, ergo reprobi in altera vita nullam sibi polliceri possunt peccatorum remissionem, proindeque nec poenarum finem.

28. Sane non maior damnatis spes remissionis, quam renovationis et conversionis affulgere potest. Persistentibus enim in iniquitate, nulla peccatorum conceditur remissio.

Sed non patiuntur biblia, ut damnatis spes aliqua fiat resipiscentiae et renovationis. Percontaris, unde id constet? Respondeo, multiplici ex capite constare.

Constat I. quia omnis operandae salutis opportunitas huius vitae ambitu comprehenditur; quod Ecclesiastes testatur 89): *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

29. Constat II. quia pluribus, eisdemque variis loquendi formis biblia damnatos exhibent, ut qui in peccato obstinati perdurent, neque meliorem induant mentem.

Et sane quibus depingunt coloribus reproborum conditionem? Atris omnino et terrificis. Illam dicunt *mortem secundam* 90), *vitae* oppositam: dicunt versari reprobos modo *in tenebris exterioribus* 91), modo *in caligine tenebrarum* 92), proindeque *luce* carere, atque subesse *dominio peccati*, quod explicatur sive per *potestatem mortis* 93), sive per *potesta-*

86) Ibid. XII. 32.
87) Griesbachius: ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι.
88) Marc. III. 29
89) Eccle. IX. 10.
90) Apoc. II. 11, XX. 6, XXI. 8.
91) Matth. VIII. 12, XXII. 13, XXV. 30.
92) II. Petr. II. 17, Iudae v. 13.
93) Hebr. II. 15.

tem tenebrarum 94): repraesentant damnatos veluti qui βρυγμῷ ὀδόντων, *dentium stridore* 95), impatientem cruciatus animum, iramque adversus Deum impotentem manifestant 96).

Ad haec, ii sunt damnati, qui dicuntur ab apostolo 97) σκεύη ὀργῆς, *vasa irae*, et σκεύη εἰς ἀτιμίαν, *vasa ad dedecus*, nimirum vasa immunda, vasa inutilia Domino, et ad nullum opus bonum idonea, quemadmodum eruitur ex descriptione vasorum in honorem, quae habetur in altera ad Timotheum epistola 98). Age iam, quis cum hoc statu mortis, tenebrarum, caliginis, desperationis, irae immissae divinitus, dedecoris, resipiscentiam componat, et animi renovationem?

Si de damnatorum quo late patet genere fieri coniectura potest ex diabolo et angelis eius, nihil exploratius quam damnatis ad unum omnibus firmissimam esse in peccato voluntatem. Peccat ab initio diabolus, est ab initio homicida, pater mendacii, fratrum accusator, in omnem intentus occasionem perdendi homines, serpens antiquus, et qui struendi insidias modum adhibet nullum 99); unde emphatice ὁ πονηρός appellatur 100). Haec patris est indoles, et ex ea aestimari potest, quae indoles sit filiorum, id est, reproborum omnium, qui patrem habent diabolum, et patris opera imitantur 101).

30. Denique III. resipiscentiae et renovationis damnatorum nullam concipi spem posse, ex eo constat, quod quae sunt necessariae renovationis sive caussae, sive conditiones, eae cum statu damnatorum componi nequeant.

Princeps et potior renovationis caussa est *amor Dei*, et *misericordia* qua homines prosequitur. Sed neque amori, neque misericordiae locus superest aliquis post spretam tamdiu divinam longanimitatem 102), post occlusam ianuam 103), postquam eiecti, et a Dei societate exclusi penitus fuerunt, quos ipsemet Dei Filius *maledictos* 104) compellat.

Succedit *meritoria* caussa, quae Christi passionibus et satisfactione continetur. Atqui sanguis agni, qui ab origine mundi occisus est, non illos abluit, qui ab eodem agno in die sua, in die iudicii et furoris sententia maledictionis feriuntur.

Tandem ut Deus sua permotus bonitate, intuitu meritorum Christi, iustificet impium, necesse est ut impius credat, speret, diligat, et ad cor rediens convertatur a viis suis pessimis. Sed hactenus confecimus, eos esse reprobos, qui si credunt et contremiscunt, non idcirco vel Deum

94) Luc. XXII. 53, Coloss. I. 13.

95) Matth. VIII. 12, XIII. 42, XXII. 13, XXIV. 51, XXV. 30, Luc XIII. 28.

96) Confer Suicerum, voce βρυγμός.

97) Rom. IX. 21, 22.

98) II. Tim. II. 21: *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

99) Gen. III. 15, Ioh. VIII. 44, I. Ioh. III. 8, Apoc. XII. 7-17, II. Cor. IV. 4, ...

100) Matth. XIII. 19, 38, I. Ioh. II. 13, 14.

101) Ioh. VIII. 41, 44, I. Ioh. III. 8, 10.

102) Rom. II. 4-5.

103) Matth. XXV. 10. seqq.

104) Ibid. v. 41.

diligunt, vel peccatum, quemadmodum par foret, detestantur. Ii sunt reprobi, de quibus Servator pronunciavit 105): *Bonum fuisset illi, si homo ille non fuisset natus.* Videlicet manebunt semper vasa in contumeliam: nam si converti possent in vasa ad honorem, operae pretium fuisset, inter homines extitisse. Tanta enim est praestantia vasorum ad decus, a quibus nomen Dei celebratur, ut si quis post innumera saeculorum millia inter cruciatus atrocissimos exacta, ad eam dignitatem esset transferendus, bonum omnino fuisset, talem hominem nasci.

THEOREMA VI.

Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus malis angelis spes omnis liberationis denegatur.

31. Demonstratio. Creaturam nullam reconciliari Deo, atque a dominatu peccati et damnationis eximi nisi per Christum, dogma est quod ad omnem paginam in bibliis repetitur et inculcatur. Ergo si diserto constet testimonio, noluisse Christum malos angelos liberare, ipsorum caussa conclamata haberi debet. Atqui existit eiusmodi testimonium, et quantum satis est, diserte dicitur, noluisse Christum malis angelis salutem afferre.

Audiatur Paulus de Christo asserens 106): οὐ γάρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Quod Vulgatus reddit: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Sed quid sibi vult ἐπιλαμβάνεσθαι ἀγγέλων, ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραάμ? plerique sunt, qui ita interpretentur: *accipere, assumere* angelos, *accipere, assumere* Abrahae semen. Atqui haec accipiendi, assumendique notio neque in contextum quadrat, neque facit satis apostoli scopo.

Ergo ἐπιλαμβάνεσθαι heic aequivalet hebraeo גָּאַל, *in libertatem asseruit, vindicavit*, quod iam pluribus comprobarunt Braunius et d' Outreinius in commentariis, et in libro de Goële Cramerus 107). Particula aetiologica γάρ ostendit, heic ab apostolo rationem afferri, qua factum est ut diabolus incarnatione perderetur, et credentes israelitae a timore mortis, quo sub veteri oeconomia graviter angebantur, liberarentur. Ratio autem eventus adeo dissimilis haec affertur, quod non angelorum, sed seminis Abrahae ἐπιλήπτωρ, גֹּאֵל, *assertor* et *redemptor* Christus futurus esset. Atque ita ab omni spe salutis per Christum obtinenda angeli excluduntur. Quod efficacissime indicatur particulis οὐ δήπου, *omnino*

105) Matth. XXVI. 24.
106) Hebr. II. 16.
107) Libr. II. op. cit.

non, nulla ex parte, adeo ut sensus existat: *non enim omnino angelos vindicat, sed Abrahae semen* in libertatem asserit.

Atqui reproborum hominum et angelorum unam eamdemque esse rationem, liquet ex sententia Christi 108): Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ, οἱ κατηραμένοι, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius.* Ergo quemadmodum mali angeli, ita homines reprobi nullam polliceri sibi possunt liberationem per Christum, adeoque cum illorum, tum horum desperata est caussa, et sempiterna pernicies.

THEOREMA VII.

Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quae demonstrant, λύτρον *infiniti pretii fuisse necessarium, ut homines a peccatis, et poena peccatis debita eximerentur.*

32. Demonstratio. Pretium solutionis respondere debet contracto oneri, adeo ut debitum inter et pretium proportio servetur. Ergo si pretium infiniti valoris solutum fuit ut homines a peccatis, eorumque poenis liberarentur, dubium esse non potest an peccatis meritum insit nonnisi aeternis poenis luendum. Atqui constat persolutum revera fuisse pretium infiniti valoris, et pretium tantae dignitatis necessarium fuisse, ut peccatorum merita eluerentur.

Id principio constat *negative* ex iis testimoniis, quibus docemur, creaturas ad unam omnes huic pretio solvendo impares fuisse 109).

Positive idem confirmatur iis testimoniis, quibus persoluti pretii fructus in aeternum protenditur. Eiusmodi illa sunt, quibus dicitur a Christo acquisita *iustitia aeterna* 110), inventa *redemptio aeterna* 111), *in aeternum consummati qui sanctificantur* 112), et per quae sacerdotii Christi dignitas in eo constituitur, quod *aeternum gerat sacerdotium* 113), cuius virtute σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ, *salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum.*

Is ergo est reatus peccati, cui non fit satis nisi pretio infinito. Sed reprobi alieni sunt a pretio soluto per Christum 114); ergo obnoxii manent reatui numquam delendo, et pro quo sempiternas debent poenas.

108) Matth. XXV. 41.

109) Ps. XLIX. 8, 9: *Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animae suae, et laborabit in aeternum.* Ierem. XXX. 21: *Quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi? ait Dominus.*

110) Dan. IX. 24.

111) Hebr. IX. 12.

112) Ibid. X. 12.

113) Ibid. VII. 16, 17, 24, 25.

114) Cf. n. 30.

COROLLARIUM.

33. Ex tribus hypothesibus *de absoluta poenarum aeternitate, de absoluta omnium futura restitutione, et de restitutione conditionata eademque ex libera creaturarum determinatione pendente* 115), altera et tertia Scripturarum auctoritate refelluntur, prior vero ita stabilitur, ut inter exploratas veritates in Scripturis contentas numerari debeat.

115) Conferantur Antonii Lauzerand *Essai sur la doctrine du rétablissement final*, 1853; Dietelmair *De ἀποκαταστάσει scripturaria et fanatica*, 1746; Winzer *De ἀποκαταστάσει in ll. N. T. proposita*, 1821; A. Freundier *Réfutation de la doctrine du rétablissement final*, Genève 1850; et I. L. Durand *Le progrès dans la vie future*, 1851. Quibus addi possunt Eduardus Reuss in op. *Histoire de la Théologie Chrétienne au siècle apostolique*, I. IV. p. 257. seqq.; et P. Goy in op. *Revue de Théologie et de Philosophie Chrétienne*. vol. VII, livr. VI, p. 370. seqq. Paris 1853.

DE

AETERNITATE POENARUM

COMMENTARIUS SECUNDUS

IUDICIUM RATIONIS

DE

AETERNITATE POENARUM

IUDICIUM RATIONIS

LEMMA I.

1. Ratione intelligimus, duplex poenae genus distinguendum esse, *privativum* et *positivum*. Illud privatione continetur boni, quod personae, quod statui, quod conditioni deberetur, si nihil obesset. Hoc punitionem includit, qua in reum animadvertitur, qua reus plectitur, et male habetur. Poenae privativae exemplum habes in exilio, quo civis patriae bonis privatur. At positivae in verberibus, quae criminibus obnoxio infliguntur.

LEMMA II.

2. Perspicit ratio posse Deum, immo et debere legem suam poenis cum privativis, tum positivis sancire. Ne plura congeram in re comperta, hoc unum monebo: detrahi non posse Deo, quae humanis legumlatoribus tribuuntur. Atqui nemo est qui humanis legumlatoribus non tribuat, quod ipsi et possint et debeant custodiae legum suarum prospicere, adiectis poenis cum privativis, tum positivis. Immo quod humanis legumlatoribus asseritur, id potiori iure asserendum esse Deo vel exinde etiam patet, quod humana sanctio divinam supponat, et non vicissim.

LEMMA III.

3. Docet ratio multo magis ad legumlatores spectare, ut poenis in sontes animadvertant, atque suas protegant leges, quam ad eosdem spectet praemia distribuere, et praemiis ad custodiendas leges provocare.

Neque id docet ratio eo solum nomine, vel potissimum, quod quum unius legislatoris sit punire, contra aliis etiam competit praemia erogandi facultas; verum eo praesertim I. quod maior sit iniuria imperantis maiestati illata per legis violationem, quam obsequium eidem delatum, servata lege; II. quod gravius sit damnum, quod ex violatis legibus

societati imminet, quam emolumentum eidem adveniens ex legibus custoditis; III. quod pluris intersit, ne cives sint improbi, quam ut iidem sint optimi.

Haec, aliaque persuadent, legislatoris magis esse scelera avertere intentatis poenis, quam ad egregia virtutum opera praemiorum pollicitatione cohortari.

LEMMA IV.

4. Non omnia, quae patrantur ab hominibus crimina, eiusdem sunt gravitatis aut naturae. Sunt crimina minora, sunt maiora, sunt maxima. Atqui poenalis sanctio criminum gravitati et naturae respondere debet. Nisi ita esset, si eodem poenae genere crimina omnia plecterentur, nec aequus censeri posset legislator, nec iustitia in poenarum distributione servaretur. Igitur postulat ratio, ut certi quidam gradus sint in poenis, quemadmodum multiplex est et varia criminum gravitas et natura.

LEMMA V.

5. Duo potissimum sunt, quae in poenis considerantur: earumdem *vis* et *intensio*, nec non *duratio* et *extensio*. Ergo proportio, quae servanda est inter crimen et poenam 1), simul respicit poenae cum vim et intensionem, tum durationem et extensionem; adeo ut pro criminis varietate varia quoque esse debeat inflictae poenae intensio et extensio.

LEMMA VI.

6. Falluntur egregie, qui mensuram durationis poenae petendam esse autumant ex tempore magis minusve diuturno, quod reus in patrando crimine impenderit, vel quo in admisso crimine perstiterit. Iniqua est haec norma, atque penitus absurda, ut experientia docet, et ratio confirmat. Docet experientia, crimen brevissimo perpetratum tempore modo perpetuo exilio, modo perpetuis carceribus, et modo prolixioribus cruciatibus puniri.

Nec sane mirum, quandoquidem norma, ad quam poenae intensio et extensio exigi debet, non ipsa mora temporis, sed gravitas sit criminis, quae gravitas oritur I. ex materia et obiecto ipsius criminis; II. ex tenore et forma legis, qua crimen interdicitur; III. ex adiunctis personae, quae crimen admisit; IV. ex circumstantiis omnibus, quae actum comitantur, ac prope circumvestiunt.

1) Quod in Lemmate IV. exposuimus.

LEMMA VII.

7. Neque illud praetermitti debet, ad augendam, amplificandamque criminis gravitatem plurimum facere personae, quae laeditur, dignitatem. Persuasio est haec humani generis universi, quod et existimavit semper, et praeceptam animo sententiam dictis factisque declaravit, eamdem numero iniuriam pro dignitate personae, cui infertur, certos veluti quosdam turpitudinis et malitiae gradus induere, quibus totidem veluti gradus poenae debeant vicissim respondere. Atque huic persuasioni luculenta ratio suffragatur. Nam quo persona est dignior, eo perfectius ius habet ad obsequium; unde sine atrociori iniuria laedi non potest.

LEMMA VIII.

8. Hinc sequitur, illatam Deo iniuriam omnium esse maximam, quum ea violetur ius et officium perfectissimum. Violatur *ius* perfectissimum, quia Deus propter infinitam naturae suae praestantiam, infinitum, ut ita dixerim, ius habet ad obsequium.

Violatur perfectissimum *officium*, quia nulla est creatura, quae obligatione omnium maxima non obstringatur ad deferendum Deo supremum, quem potest, honorem.

THEOREMA I.

Bene consulta ratio nullam in eo deprehendit pugnam, quod Deus praestituerit certum quoddam tempus, quo elapso, peccatoribus nulla spes sit reliqua condonationis obtinendae.

9. Demonstratio. Historiae annales contestantur, plus semel ab humanis principibus hanc rationem fuisse initam, ut sive rebellantibus provinciis, sive certis quibusdam civibus spem omnem veniae ereptam vellent, nisi praestituto definitoque tempore ad officium redirent. Sed haec, quae historiae annales referunt, bene consulta ratio neque improbat neque damnat, sed probat et commendat. Ergo probabit quoque et commendabit, si quod sibi asserunt ius humani principes, eodem utatur et Deus, qui est principum princeps, et dominantium dominator 2). Videlicet probabit ratio, a Deo praestitui definitum tempus, praeter quod hominibus ad officium non redeuntibus spes veniae obtinendae nulla supersit.

2) Apoc. XIX. 16.

10. Et cur non istud probaret? Quo improbaret titulo? An ideo semper reserata penes Deum esse debet ianua veniae, ne umquam hominibus obstructa sit ianua peccandi? Quo iure possunt a Deo homines exigere, ut illis peccantibus nullo umquam tempore veniam deneget Deus? Quo officio obstringitur erga homines Deus ad veniam illis nullo non tempore erogandam?

Adiiciam et aliud: Suppetit ne rationi perspicuum aliquod et indubium argumentum, quo confirmet, vel semel obstringi Deum ad veniam peccantibus elargiendam? Coniecturas suppetere aliquas, non omnino negabo; at argumentum suppetere perspicuum et indubium, non ausim affirmare.

Unde enim hoc argumentum peteretur? Forte ex divina in homines bonitate? At bonitas est haec, quae ab iustitia non seiungitur, quae in sui externa communicatione libera est, quae se manifestavit satis hominem creando, illumque exornando praesidiis, quibus uti si vellet, legem servaret, neque divinum numen offenderet.

Forte ex imbecillitate creaturae? Sed imbecillitas haec est confirmata divinitus, quaeque si cadere ex sui natura potuit, non ideo tamen revera peccando cecidit, nisi quia libere voluit, atque libere elegit creaturam creatori praeferre.

Maneat ergo fixum, ex nullo rationis principio colligi, non potuisse Deum intra certos quosdam limites tempus concludere, quo venia sperari posset.

THEOREMA II.

Bene consulta ratio nullam in eo pugnam deprehendit, quod tempus obtinendae veniae a Deo praestitutum, mortalis vitae finibus coerceatur.

11. Demonstratio. Quod salvis iustitiae et aequitatis iuribus possit supremus princeps lege lata definire, nonnisi intra certum tempus obtinendae veniae facultatem fieri; et declaratum est superius 3), et inspecta rei natura intelligitur. Ergo etiam Deus, salvis iustitiae et aequitatis iuribus, poterit lege lata sancire, tempus obtinendae veniae limitibus praesentis vitae circumscribi.

12. Et cur non posset? Forte quod ius sit homini prolixius tempus obtinendi? Sed fingi id iuris potest, comprobari non potest.

Ad haec, si homini ius esset prolixius tempus obtinendi, quaero, quis huius temporis praestituet limites? An homo ipse? Sed non est hominis qui legi subditur, tempus legislatori praescribere, quo fas sit veniam sperare.

3) Videlicet nn. 9, 10.

Forte ipsa rerum natura eiusmodi limites praestituentur? Atqui ex rerum natura hoc habetur unum: posita semel legis violatione, integrum esse legislatori intentatam sanctionem opere exequi, et ad normam legis in sontem animadvertere. Unus ergo restat Deus, qui pro summo, quo pollet iure, limites definiat, intra quos possit contracti sceleris venia obtineri.

Merito ergo diximus, nihil quod absonum sit, quod bene consulta ratione improbetur, in eo reperiri, quod voluerit Deus, ut qui limites essent praesentis vitae, iidem limites quoque forent veniae obtinendae.

THEOREMA III.

Cum principiis rationis apprime congruit, ut qui sunt limites praesentis vitae, hi quoque censeantur limites consequendae veniae.

13. Demonstratio. Fatendum est ingenue, nullum esse principium una compertum ratione, ex quo legitima simul et necessaria consequutione inferatur: spem veniae ultra limites praesentis vitae protendi non posse.

Ecquod enim esset eiusmodi principium? Unde derivaretur? An ex attributis divinis? Sed inter attributa divina illud extat et eminet, quod Deus sit suorum donorum dominus, quod semper possit lapsum hominem erigere, erectumque impertita venia salvare.

An ex rerum natura? Utique urgeri rerum natura posset, si cum praesenti vita totus, quantus est, homo interiret. Atqui melior eiusdem pars superstes manet, naturalis arbitrii libertas, quae saltem si iuvetur divinitus, potest resipiscere, atque Deo, pro iniuria illata, aliquo tandem pacto satisfacere.

Neque inferas propterea, probabiles etiam deesse rationes, quae suadeant, congruum apprime esse, ut ambitu praesentis vitae spes veniae coerceatur. Adsunt eiusmodi rationes, quarum aliquas indicabo.

14. Prima petitur ex praesensione quadam, qua semper hominum generi persuasum fuisse videtur, merendi demerendique tempus ad hanc vitam restringi, et post hanc vitam locum non esse nisi vel praemio pro bene gestis vel poenae pro improbe factis.

Accedit, quod licet post mortem superstes anima maneat, *homo* tamen desinit, qui anima et corpore continetur. Sed lex data est homini, homini iniunctum obtemperandi officium, homini proposita sanctio. Hominis igitur est pro contractis culpis satisfacere, nec, homine desinente, aliquis videtur esse posse reliquus locus satisfactioni et veniae.

Praeterea fac voluisse Deum, ut etiam post supremum diem spes veniae et condonationis superesset. An putas fuisse satis provisum bono

atque ordini humanae societatis? Bonum atque ordo humanae societatis ex eo maxime pendet, quod homines pro certo habeant, sibi post mortem reddendam esse eorum quae gesserint rationem, praemium vel poenam pro actuum natura relaturi. Quidquid ergo huic persuasioni officit, quidquid eam enervat, infensum apprime est bono et ordini societatis. Sed notitia, vel etiam coniectura non improbabilis, quod post mortem non omnis praeripiatur facultas divinam ultionem evadendi, illi persuasioni vehementer officit, eius efficaciam enervat, atque hominibus, spe facta reparationis post mortem, animos addit, ut in praesenti vita sibi indulgeant, et officiorum custodiam pro praesenti utilitate et delectatione contemnant. Cum ergo Deus auctor sit et assertor boni atque ordinis humanae societatis, is vera dicere censendus est qui contendat, ipsum voluisse ut una cum praesenti vita spes omnis veniae atque reparationis desineret.

THEOREMA IV.

Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod qui peccato obnoxius vita fungitur, is tamdiu poenam luat, quamdiu existit.

15. Demonstratio. Fac in humana societate certum tempus praestitutum esse, quo elapso lege lata declaraverit princeps, pro contractis criminibus nullam veniam concedi, sed in omnes atque singulos ad normam iustitiae animadverti. Profecto si qui criminum rei concessa opportunitate non utantur, et tempus assequendae veniae praestitutum sinant praeterlabi; nemo principem reprehendat, si in illos ad iustitiae normam animadvertat, eosdemque etiam poena perpetua pro criminis gravitate castiget.

Quis ergo ausit Deum reprehendere, si iniquos homines, qui in praesenti vita opportunitatem obtinendae veniae contempserint, in altera ad tenorem legis puniat, atque ab eis poenas exigat tamdiu duraturas, quamdiu ipsi permanserint? Forma haec est agendi cum rerum naturis apte consentiens, ut qui indulgentia principis uti noluerint, illius vindictam experiantur.

16. Praeterea nihil quod absonum sit, quod repugnans, quod iniustum, in eo perspicit humana ratio, ut una eademque sit poenae et culpae, cui poena infligitur, duratio. Tamdiu enim quis dignus est qui plectatur, quamdiu obligatus manet reatu culpae. Sed reatus culpae, qui non condonetur, iugiter permanet. Ergo si post mortem numquam condonetur, iugiter permanebit, atque jugiter qui reatu culpae obstrictus manet, dignus erit qui puniatur. Ergo poena, quae post praesentem vitam tamdiu duret, quamdiu peccator existit, ea solum conditione im-

probari potest, quod nonnisi iniuste condonationis et veniae tempus ad hanc mortalitatem coarctetur.

Atqui tria a nobis demonstrata sunt: I. rationi nullatenus adversari, quod veniae tempus certis quibusdam limitibus definiatur 4); II. neque rationi adversari, quod hi limites praesentis vitae ambitu contineantur 5): III. belle cum ratione congruere, ne ultra tempus praesentis vitae condonationis et veniae spes prorogetur 6). Ergo quin rationi adversetur, cum ratione potius perbelle congruit, ut qui obstricti reatu culpae supremum obeunt diem, tamdiu poenas luant, quamdiu existunt.

THEOREMA V.

Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod qui moriuntur culpa obstricti, poenas luant perpetuo duraturas.

17. Demonstratio. Nuper disputando confecimus 7), rationi non adversari, immo cum ratione consentire, ut qui e vita excedunt reatu culpae obstricti, tamdiu puniantur, quamdiu existunt. Sed animae humanae ea est conditio, ut intereat numquam, semperque existat atque vivat. Ergo fieri non potest, ut rationi adversetur, illos plecti poenis perpetuo duraturis, qui Deo inimici, et poenali sanctioni obnoxii praesentis vitae cursum absolvunt.

18. Et cur, quaeso, rationi adversaretur? Num quod immeriti punirentur? Sed ipse reatus meritum est sufficiens: ergo reatu semper manente, semper itidem manet poenae dignitas.

Sed si peccatores resipiscant, si factum retractent, si ad divinam confugiant misericordiam? Audio, at simul video haec frustra reponi. Detur, quod ista omnia et possint et velint in altero saeculo peccatores. Non proinde infectum redditur quod factum est: non proinde verum non manet, contemptam ab illis fuisse, quamdiu vixerunt, divinam bonitatem: non proinde falsum est, potuisse Deum tempus veniae et condonationis limitibus mortalis vitae circumscribere.

Quare, si quid ex instituta exceptione consequitur, hoc est: integrum esse Deo illorum quoque misereri, qui peccatores vitam obierint; at nullatenus consequitur, vel Deum debere illorum misereri, vel non potuisse Deum eiusmodi providentiae ordinem praeeligere, quo posito, neque remissio, neque venia illis concedi debeat, qui peccato obstricti hanc mortalitatem exuerint.

4) Cf. nn. 9, 10.
5) Cf. nn. 11, 12.
6) Cf. nn. 13, 14.
7) Theor. praeced.

SCHOLION

19. Tanti momenti est haec veritas, atque humanus sensus illi tantopere refragatur, ut operae pretium sit, eidem alia etiam via, alioque pacto fidem conciliare. Id quod continuo adgredimur.

THEOREMA VI.

Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod Deus leges suas eiusmodi privativis poenis sanciat, quae perpetuo durent.

20. Demonstratio. Nulla est respublica, quae iure non potiatur animadvertendi in quaedam civium crimina perpetua boni communis privatione. Hinc in omni republica ius infligendae mortis, indicendique perpetui exilii. Sed desipiat necesse est qui detrahat Deo, quod supremis humanis magistratibus omnes concedunt. Inest ergo Deo ius suas sanciendi leges poenis eiusmodi, quae sint perpetuae.

21. Et sane cur non inesset? An Dei in homines dominium non est supremum? Immo vero supremum quam quod maxime, cum et creator hominum ipse sit et conservator, humanaque omnia ex eius nutu pendeant.

Sed forte impar est homo poenae perpetuae ferendae? Utique si una cum corpore totus homo pereat, neque immortalis supersit anima: utique si quod perpetuum est et dicitur, eo quod nullo conclusum limite, non sit finitum.

Sed inter poenam perpetuam et crimen ab homine admissum ea desideratur proportio, quam iustitia exigit in poenis distribuendis? Nihil minus, sive naturam inspicias iuris, quod Deo in homines competit, sive officia spectes, quibus homines ad deferendam Deo omnimodam obedientiam obligantur:

Ius Dei in homines est omnino summum, ius est creatoris, domini et legislatoris supremi. Ergo ius est, quod poenis omnium maximis sanciri potest, ne laedatur.

Officia autem, quibus homines ad obediendum Deo tenentur, iuri Dei in homines respondent: videlicet sunt perfectissima, sunt absoluta, sunt suprema. Ergo illorum violatio ea est, quae supremis poenis impediri potest.

Quare ostendimus, nullam in eo apparere pugnam, quod Deus poenis privativis perpetuo duraturis leges suas sanciat.

THEOREMA VII.

Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod divinae leges poenis positivis, eisdemque perpetuis sanciantur.

22. Demonstratio. Pleraque ex iis, quibus praecedens theorema confirmavimus, huc etiam spectant, et ad id, quod modo tuemur comprobandum, opportune adhibentur. Opportune adhibetur ratio quaesita ex supremo Dei in homines dominio, et ea quoque opportune adhibetur, quam eruimus sive ex natura iuris divini, sive ex natura officiorum, quibus homines obligantur.

His accedit, quod si in civili societate reprehensioni non subiacet, quod sontes positivis poenis ante mortem non desituris plectantur; neque reprehensioni subesse potest, quod in violatores divinarum legum eiusmodi positivis poenis animadvertatur, quae tamdiu durent, quamdiu sontes ipsi existunt.

Ad haec, nihil inest poenis positivis, eisdemque perpetuis, quod peccato non conveniat: non *perpetuitas*, quandoquidem ipse reatus possit esse perpetuus: non quod *dolorem* inferant, *molestiamque* creent, quandoquidem aequum sit, ut doloribus atque molestiis illicita peccati delectatio mulctetur. Itaque poenae quae sint positivae et perpetuae, peccati meritum non excedunt; infligi igitur possunt, et siquidem revera infligantur, nulla peccatori suppetit caussa iustae querelae, et quae ratione adprobetur.

Eo vel magis, quod praepostere denegaretur Deo usus illius medii, quo homines deterrentur maxime, et efficacius intra officiorum limites continentur. Atqui huiusmodi medium non differt a poenis positivis et perpetuis; quum enim homo sensibus ducatur maxime, iis poenis commovetur vehementius, quae in sensus apprehensionem incidunt, et quarum acerbitas experimento comprobatur.

THEOREMA VIII.

Bene consulta ratio probat, quod divinae leges poenis perpetuis cum privativis, tum positivis sanciantur.

23. Demonstratio. Cum ratione optime consonat, quod Deus sit et censeatur auctor eiusmodi moralis ordinis, ut qui illum servant, finem ordinis, perpetua felicitate comprehensum, adipiscantur, qui vero illum praetergrediuntur et violant, a fine ordinis excidant, et in perpetuam

miseriam incurrant. Talis enim ordo et rerum naturis respondet, atque in ipsa materiali natura expressus apparet.

Sed cum eiusmodi ordine, qui praestitutus sit, nectitur et cohaeret poenarum perpetuitas. Ergo bene consulta ratio probat, quod moralis ordo poenis perpetuis muniatur.

24. Rursum, nequit cum ratione non congruere ea sanctionis forma, qua convenientius providetur honori divino, et humanae actiones pro sua dignitate habentur. Sed divinus honor peccato infinite propemodum laeditur, et hominum peccata infinitam propemodum contrahunt malitiam.

Laeditur divinus honor propemodum infinite, quod intelligitur, si spectetur hinc Dei infinita dignitas, et ius perfectissimum, quo a creaturis honorem exigit, inde vero infinita hominis vilitas, et officium perfectissimum, quo ad Deum honorandum obligatur. Porro malitia peccati ex iisdem dimanat caussis, e quibus oritur iniuria Dei, et iniuriae Dei proportione respondet.

Cum ergo iniuria Dei sit propemodum infinita, infiniti quoque limites attingere videtur malitia peccati. Ergo sanctio, qua fiat satis honori divino, et qua hominum peccata pro dignitate habeantur, necesse est ad infiniti limites, quoad eius fieri potest, accedat, infinitumque ipsum aliquo pacto exprimat.

Atqui accedere nequit ad limites infiniti intensivi, neque infinitum intensivum utcumque exprimere. Ergo summopere convenit, ut ad limites accedat infiniti extensivi, atque infinitum extensivum quadamtenus adumbret.

Sed indefinitum illud est, quod infinitum extensivum adumbrat, et limites attingit infiniti extensivi. Ergo summopere convenit, ut divinae legis violatio poenis indefinitis atque perpetuis sanciatur.

25. Praeterea, Deum omnino dedecet eiusmodi sanctio, quam et homo non absque omni plane caussa aspernetur, et qua posita, perpetuo verum sit, peccatum non nocuisse peccanti.

Age iam, et pone, nonnisi finitis duratione poenis in peccata divinitus animadverti. Quid erit consequens? Id principio erit consequens, non absque omni plane caussa ab homine sperni divinam animadversionem.

Nam si finita haec sit, prae indefinito quod superest, haberi potest puncti instar prae linea indefinite excurrente. Videlicet non absurde negligi potest.

Comparatione reddam illustrius quod sentio. Minor est ratio temporis cuiusvis finiti ad indefinitam durationem, quam unius instantis praesentis vitae ad summam momentorum, quibus integrae vitae duratio continetur. Sane posterior haec ratio est finitum inter et finitum, at prior illa initur finitum inter et indefinitum. Atqui delicati prorsus, ac ferme muliebris animi esset admodum ea poena commoveri, quae nonnisi unico praesentis vitae instanti duratura, vim haberet nullam pro reliquo vitae cursu. Ergo

multo magis delicati esset et muliebris animi ea poena admodum commoveri, quae finito comprehensa gyro, nullum per indefinitam durationem effectum pareret.

Sed et alterum consequeretur, perpetuo verum fore, quod peccatum peccantibus non nocuit. Etenim elapso tempore poenae praestituto, indefinitum superesset tempus poenae vacuum, quo indefinito tempore integrum esset peccatoribus dicere: equidem peccavimus, sed in perpetuum ex peccatis, quibus Deum offendimus, divinasque leges conculcavimus, nullum experiemur detrimentum

Ergo, ne in haec, aliaque eiusmodi incidamus absurda, concludamus oportet, summopere decuisse, ut poenae perpetuae divinis legibus adiicerentur.

26. Idque ex eo etiam, quod aliter neque custodiae moralis ordinis, neque bono humanae societatis pro opportunitate consultum videretur.

Evolvantur historiae, conferantur gentium annales, et quotidiana experientia interrogetur. Quid discimus? Ista sunt quae discimus. Discimus I. arduam esse virtutis semitam, et quam hominum natura refugit. Discimus II. humanas mentes in vitia admodum esse pronas, sensuum suavitate vehementer allici, neque admodum nuda honestatis specie commoveri. Discimus III. assidua opus esse animi contentione, ne officia violentur, ne iustitia laedatur. Atque tandem discimus IV. sine magnis virtutibus societates vel subverti, vel ita sensim in peius ruere, ut tandem intereant.

Sed quid propterea? Omnino necessarium esse, ne hominibus motiva desint, quibus efficaciter ab officiorum transgressione deterreantur. At quomodo illos efficaciter deterreas? Eiusmodi comminatione mali, quod exhorrescant, quodque ut vitent, incitamenta peccati quamquam vehementissima fortiter comprimant, constanterque refraenent.

Sed tanta ne vis inerit comminationi mali, quod desinat, quod finitum sit, et a quo nihil sibi perpetuo timendum habeant homines? Quod cessat, quodque tandem vitabis, vel non deterret, vel non eo usque, ut continendis in officio hominibus par esse videri possit.

Ergo amor quo Deus ordinis custodiam prosequitur, et providentia qua hominum societatem administrat, postulare videntur, ut aeternae sint poenae, quibus divinae leges sanciuntur.

27. Quae ut etiam efficacius animos perstringant, aliquot proponimus argumenta a veteribus usurpata.

I. Augustinus itaque in opere *De Civitate Dei* 8) percontatur: « Cur iniquum sit, cum iudices huius mundi peccata multa gladio punientes, homines in aeternum ex societate vitae humanae exterminent, Dominum aeternae civitatis impios et hostes suos, qui indesinenter peccant, in aeternum ex civitate sua eiicere, et sub ira et maledictione ipsius et legis

8) Libro XXI. c. XI.

manere eos, qui impuri et iniusti in Deum et proximum perpetuo malevoli sunt? »

Consonat Theodorus Abucarae episcopus in disputatione contra Originem 9) scribens: « Omnem iustitiam vel ex Dei lege, vel ex legibus, quas homines sanxerint, vel ex rebus naturalibus cognoscimus. Harum autem iustitiae specierum nulla temporalem poenam irrogat. Prout fornicatur quispiam, vel furatur, vel occidit unius horae spacio; at *lex Dei, hominumque leges*, homicidam capitis damnantes, extremoque supplicio facinorosum aliquem afficientes, non unius in eum horae spacio animadvertunt; sed si morte quidem plectant, aeterno eum supplicio afficiunt, vel si verberent, diuturnum ei dolorem ex rebus inferunt. Quin tu quoque si adulterum quempiam cum uxore, filiave deprehenderes, non unius illum horae spacio puniendum, sed trucidandum censeres: quod quidem aeternum est hominum supplicium. Sed ipsae quoque *rerum naturae* perinde se habent. Cum enim nobis ne frigidam, verbi gratia, bibamus aquam, neve quoquo noxio cibi genere utamur, interdictum sit, in vetitum tamen nitamur, diuturnas nimirum poenas damus. Itaque saepe numero fit, ut ex frigidae potu, ignisve contactu, vel aceti usu, continuum morbum incurramus: atqui natura iustissima est.»

II. Basilius haec praeclarissima habet 10): « Unum hoc est ex artificiis diaboli, ut homines videlicet, velut obliti horum et talium, quae posita sunt plerisque in locis sacrarum litterarum, quo maiore cum audacia peccent, sibi ipsis suppliciorum finem confingant.»

Quod argumentum inculcat quoque Hieronymus graviter monens 11): « Evertit penitus perversum hoc dogma timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor est et peccatorum omnium fons, acta poenitentia, posse salvari.»

III. Est et altera ratio, quam adducto loco urget Basilius: « Si aeterni supplicii finis futurus est aliquando, sine controversia aeternae vitae etiam erit. Quod si hoc in aeterna vita nullo modo possumus intelligere, quaenam afferri ratio potest, quamobrem aeternum supplicium habere finem dicatur? Aequaliter enim tam huic quam illi aeternitatis additio adiecta est.»

IV. Hieronymus vero opinionem eorum, qui futuram aliquando damnatorum restitutionem docere non verebantur, veluti indignum plane commentum exagitat, dum eodem quem paullo ante adduximus loco pergit: « Si enim omnes rationabiles creaturae aequales sunt, et vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur, et longo post circuitu, atque infinitis saeculis, omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium; quae distantia erit

9) Disputat. XIV. in Biblioth. Vet. PP. T. IV.

10) In Regulis brevioribus, interpretatio CCLXVII.

11) Comment. in cap. III. Ionae.

inter virginem et prostibulum? Quae differentia erit inter Matrem Domini, et quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idem ne erit diabolus et Gabriel? Idem apostoli et daemones? Idem prophetae et pseudoprophetae? Idem martyres et persequutores? Finge quod libet: annos et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus; si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est: quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus.»

V. Quare, ne quis fallaci suasione ductus a recta ratione alienus fiat, subdit 12): « Scimus clementem esse Deum, nec qui peccatores sumus, crudelitate illius delectamur; sed legimus 13:) *Misericors et iustus Dominus, et Deus noster miseretur.* Iustitia Dei vallatur misericordia, et tali ad iudicium ambitione procedit: sic parcit ut iudicet, sic iudicat ut misereatur. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatae sunt se* 14).»

THEOREMA IX.

Bene consulta ratio quin damnet, probat homines qui e vita excedunt peccato obstricti, continuo in poenas incidere perpetuas.

28. Demonstratio. Ostendimus I. rationem nihil absurdi in eo deprehendere, quod Deus latas a se leges sanciat poenis perpetuis cum privativis, tum positivis 15). Ostendimus II. cum ratione belle congruere, quod Deus eiusmodi poenis leges a se latas sanciverit 16).

Atqui praeterea ostendimus I. rationem nihil in eo deprehendere absurdi, quod Deus certum quoddam praestituerit tempus, quo elapso nulla spes reliqua foret condonationis et veniae 17); II. nihil pariter in eo deprehendere absurdi, quod istud tempus a Deo praefinitum mortalis vitae limitibus contineatur 18); atque tandem III. cum principiis rationis congruere, ut qui sunt limites praesentis vitae, hi quoque censeantur limites consequendae veniae 19).

Ergo demostratum manet I. quod ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod continuo post mortem homines peccato obstricti in poenas incidant perpetuas; II. quod bene cum ratione congruit, ut qui e vita excedunt peccato obnoxii, poenis perpetuis puniantur.

12) Comment. in cap. III. Ionae.
13) Ps. CXIV. 5.
14) Ps. LXXXIV. 11.
15) Nn. 20—22.
16) Nn. 23. seqq.
17) Nn. 9, 10.
18) Nn. 11. 12.
19) Nn. 13, 14.

THEOREMA X.

Revelatio quae doceat perpetuis poenis eos esse plectendos, qui e vita excedant peccato obnoxii, nihil continet, quod rationi adversetur, immo quod cum ratione non bene consentiat.

29. Demonstratio. Quemadmodum rationi non adversatur, quod qui supremum obeunt diem peccato obstricti, continuo in poenas incidant perpetuas, ita hunc providentiae ordinem ratio maxime probat 20). Ergo revelatio, quae doceat, hunc providentiae ordinem a Deo revera fuisse praestitutum, rationi non adversatur, sed potius cum principiis rationis apte consentit.

THEOREMA XI.

Revelatio christiana, quae docet, homines qui inexpiati moriuntur, plectendos esse continuo poenis perpetuis, quin rationi adversetur, cum ratione amice conspirat.

30. Demonstratio. Revelatio, inter cuius doctrinae capita et istud numeretur, poenis perpetuis addici qui moriantur peccato infecti, rationi non adversatur, sed cum ratione conspirat 21). Ergo christiana revelatio, quae istud doctrinae caput revera complectitur, quin cum ratione pugnet, cum ratione consentit.

20) Quod superiori theoremate evicimus. 21) Quod n. 29. ostendimus.

DE IGNE INFERNO

NON METAPHORICO

COMMENTARIUS BIBLICUS

DE IGNE INFERNO

NON METAPHORICO

BIBLICA DISSERTATIO

LEMMA I.

1. Nisi metaphoricis interpretationibus modus ponatur aliquis, nihil supererit in bibliis certum, nihil quod sit ratum et fixum, nihil quod sive ad asserendos fidei articulos, sive ad errores fidei oppositos convincendos, inferri ex iis legitime possit. Hoc quod ratione intelligimus, experimento comprobatum videmus in illorum potissimum commentariis, qui a Socino nomen habent, vel rationalistae nuncupantur.

LEMMA II.

2. Modus interpretationibus metaphoricis ponendus hic est, ut illae praesumi non debeant, sed perspicuis confirmari argumentis; quod nisi fiat, continuo, nulloque instituto examine reiiciantur.

LEMMA III.

3. Porro metaphoricae interpretationes, quae admitti numquam debent, nisi probentur, ab iis praesertim locis arcendae sunt, qui vel primam institutionem, vel praeceptum, vel legem, vel sententiam complectuntur. Argumenta namque omni exceptione maiora necessaria sunt, ut credamus, in eiusmodi locis proprio atque obvio sensui translatum, metaphoricum, longiusque petitum esse praehabendum.

LEMMA IV.

4. Capite vigesimo quinto Matthaei proponitur tum suprema sententia 1), quam in reprobos feret Christus iudex, tum eiusdem sententiae exequutio declaratur 2). Ergo nisi argumenta obsint omnino decretoria, utroque in loco retineri debet obvius atque proprius verborum sensus.

1) Matth. XXV. 41. 2) Matth. XXV. 46.

LEMMA V.

5. Eiusmodi porro argumentum non est, quod forte quis ex iis peteret, quae eodem capite a commate primo ad usque trigesimum primum continentur. Videlicet a commate primo ad decimum quartum parabola de virginibus, a decimo quarto ad trigesimum primum parabola narratur de talentis distributis. At ergo ne parabolica quoque erit oratio, quae a commate trigesimo primo ad calcem usque capitis excurrit? Qui ita concluderet, in re gravi ludere videretur.

Ergo quod parabolica sit oratio ad comma usque trigesimum primum, et materies et adiuncta, et verba ipsa declarant: hinc comma primum incipit, τότε ὁμοιωθήσεται ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *tunc assimilabitur regnum coelorum* . . .; et comma decimum quartum, ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος, *sicut enim homo* . . . Sed nihil horum occurrit quod ad ea pertineat, quae a commate trigesimo primo ad quadragesimum sextum leguntur. Immo omnia et singula historicam praeseferunt narrationem, et quemadmodum hsitorica narratio exigit, accipi debent, nimirum proprie et literaliter.

THEOREMA I.

Explanatur Christi in reprobos sententia.

6. Cum singula, quibus constat, verba gravissimi sint momenti, ea brevi commentario illustrabimus.

Sic ergo Christus supremi iudicis persona indutus ad reprobos 3): πορεύεσθε ἀπ᾽ ἐμοῦ, *discedite a me*, atque, ut non immerito suppleri potest 4), *abite* εἰς τόπον τὸν ἴδιον, *in locum vobis dignum, quique vobis debetur.*

Matthaei decimo octavo 5) adhibetur verbum βάλλεσθαι, quod est summa cum violentia proiici; et Matthaei septimo 6) haec Christo tribuuntur verba: ἀποχωρεῖτε ἀπ᾽ ἐμοῦ, *abscedite a me.* Vehementius in loco parallelo apud Lucam 7): ἀπόστητε ἀπ᾽ ἐμοῦ, quae ex interpretibus alexandrinis ad Psalmum sextum deprompta sunt 8), et respondent hebraicae phrasi: סוּרוּ מִמֶּנִּי.

7. Sequitur denominatio illorum, quos non sine execratione repellit Christus: οἱ κατηραμένοι, *maledicti*, quos alibi nuncupatos videre licet

3) Ibid. v. 41.

4) Ex Actt. I. 25.

5) Matth. XVIII. 8: Καλόν σοί ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλόν, ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.*

6) Matth. VII. 23.

7) Luc. XIII. 27. Vulgatus: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.*

8) Ps. VI. 9: *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.*

ἀδόκιμους, *parum probatos* 9): ἤδη κεκριμένους, *iam iudicatos* 10): εἰς ὀργὴν τεθέντας, *in iram positos* 11): vel εἰς τοῦτο τὸ κρίμα προγεγραμμένους, *ad hoc damnationis iudicium antea scriptos* 12): σκεύη εἰς ἀτιμίαν, *vasa in ignominiam* 13): et σκεύη ὀργῆς, κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, *vasa irae, parata ad interitum* 14): quae ὁ θεὸς ἀπώσατο, *Deus repulit* 15).

8. Sed quo ibunt? Quae illos manent? Ibunt εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, *in ignem aeternum*. Ignis aeternus est proprius illorum locus, quem alibi Scripturae nuncupant sive ᾅδην, *infernum* 16), sive τόπον βασάνου, *locum tormentorum* 17), sive τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, *tenebras exteriores* 18), sive σειρὰς ζόφου, *rudentes inferni* 19), sive φυλακήν, *carcerem* 20), sive ἄβυσσον, *abyssum* 21), sive ζόφον τοῦ σκότους, *procellam tenebrarum* 22), sive δέσμους ἀϊδίους, *vincula aeterna* 23), sive ὄλεθρον αἰώνιον, *interitum aeternum* 24), sive τὸν θάνατον τὸν δεύτερον, *mortem secundam* 25), sive κλαυθμὸν καὶ ϕρυγμὸν ὀδόντων, *fletum et stridorem dentium* 26), sive ἀπώλειαν, *perniciem* 27), qua non corpus modo, sed et anima perditur 28), sive σκώληκα οὐ τελευτῶντα, *vermem non morientem* 29).

9. Haec est conditio poenae, quae reprobos manet, et cuius *originem* continuo explicat Christus. Nam post verba, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, subdit, τὸ ἡτοιμασμένον, *paratum*. Idem *parandi* verbum paullo superius de regno coelorum adhibetur, quum evangelista supremi iudicis ad coelum pios vocantis sententiam refert 30): et ab apostolo divina coeli gaudia ea esse dicuntur, ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεός, *quae paravit Deus diligentibus se* 31). Ergo ille ipse Deus, qui coelum piis ab aeterno paravit, quique illos ante iacta terrae fundamenta ad salutem elegit, impios reprobavit, et locum eisdem debitum destinavit.

Unde de inferno carcere apud Isaiam 32) dicitur: כִּי־עָרוּךְ מֵאֶתְמוֹל תָּפְתֶּה גַּם־הִוא לַמֶּלֶךְ הוּכָן הֶעְמִיק הִרְחִב מְדֻרָתָהּ אֵשׁ וְעֵצִים הַרְבֵּה

9) I. Cor. IX. 27: *Ne cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.*
10) Ioh. III. 18.
11) I. Thess. V. 9.
12) Iudae v. 4: *Qui olim praescripti sunt in hoc iudicium.*
13) Rom. IX. 21: *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*
14) Ibid. v. 22: *Vasa irae, apta ad interitum.*
15) Rom. XI. 2.
16) Luc. XVI. 23.
17) Luc. XVI. 23-28. coll. Matth. XVIII. 34.
18) Matth. VIII. 12.
19) II. Petr. II. 4.
20) Matth. V. 26.
21) Luc. VIII. 31.
22) Iudae v. 13.
23) Ibid. v. 6.
24) II. Thess. I. 9.
25) Apoc. XX. 6., XXI. 8.
26) Matth. XXII. 13.
27) Philipp. III. 19: *Quorum finis interitus.*
28) Matth. X. 28: *Potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*
29) Marc. IX. 45.
30) Matth. XXV. 34: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi,* κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.
31) I. Cor. II. 9.
32) Is. XXX. 33. Vulgatus habet: *Praeparatus est enim ab heri topheth, a rege praeparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta eius, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

נִשְׁמַת יְהוָה כְּנַחַל גָּפְרִית בֹּעֲרָה בָּהּ: *Nam paratum est ab heri topheth, etiam iste* locus *regi aptatus est: profundissimum eum reddidit et latissimum fecit Dominus: pyrae eius* 33) *multitudo, flatus Domini quasi torrens sulphuris ardens erit.*

Quibus verbis, quae conferri merentur cum non paucis eiusdem sententiae locis 34), gravissima continetur infernalis damnationis descriptio; immo et aeterna inferni pro reprobis destinatio explicatur. Id enim valet dictio, עָרוּךְ מֵאֶתְמוֹל, *paratum ab heri*, quandoquidem *heri* omne tempus, quod praevertit, ipsamque aeternitatem exprimit, quum aeternitatis proprium sit, ut quivis saeculorum ordo instar diei hesternae censeatur 35).

10. Sed *quibus* tanta pernicies praeparata fuit divinitus? τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Ubi animadversione dignum est, τοῦ διαβόλου nomen singulari numero expressum numquam in bibliis nisi de uno, definitoque angelo praevaricatore adhiberi, adeo ut nomen esse videatur τοῦ ἄρχοντος τῶν δαιμονίων, qui in Apocalypsi 36) audit ὄφις ἀρχαῖος καὶ σατανᾶς, et cui sui tribuuntur angeli, qui δαιμονίων nomine passim significantur 37).

Ergo ne infernus ignis pro angelis tantum praevaricatoribus destinatus est? Nihil a vero magis alienum, quum ex sententia Christi inferno igni addici debeant quicumque ex patre diabolo sunt, et opera diaboli imitantur 38).

Eccur ergo paratus dicitur diabolo et angelis eius? Quia diabolus et angeli eius primum peccarunt: quia diabolus et angeli eius in infernum ignem primi omnium fuere deiecti: et quia cum Deus angelorum peccantium nullatenus misereri voluerit, misertus est hominum, qui dummodo utantur redemptione per Christum, infernum ignem certissime vitabunt, et cohaeredes Christi in coelis regnabunt.

33) Vel *quod attinet ad pyram eius:* מְדוּרָה, pyra, rogus.

34) II. Thess. II. 8, Ps. V. 7, LXVIII. 22, Is. XI. 4, Hab. II. 16, Mich. VII. 10, Soph. III. 8. Apoc. XVII. 1, et XIX. 20.

35) Hebr. XIII. 8. *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula.* Ps. CX. 4: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna, quae praeteriit.*

36) Apoc. XII. 9.

37) Matth. XII. 24, XIII. 10, . .

38) Ioh. VIII. 44. coll. I. Ioh. III. 8.

THEOREMA II.

Argumentis ex sententia Christi petitis ostenditur, infernum ignem non esse metaphoricum.

11. Demonstratio. Si quando necesse est verborum proprietatem retinere, et a metaphoricis, longiusque petitis interpretationibus abstinere; tum potissimum id fieri debet, quum textus enarrantur, qui praecepta, sententias, . . . continent 39). Atqui verbis Christi quae explanavimus, sententia continetur, quam ipse ut supremus vivorum et mortuorum iudex in die ultionis pronunciabit. Ergo proprietati verborum potissimum inhaerendum est.

Sed dicitur: πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ . . . εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. Ergo quamdiu κατὰ ῥητόν verba τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον non metaphoricum, sed verum exprimunt ignem, tamdiu illa non de metaphorico, sed de vero atque reali igne accipiemus.

12. Neque sane video, cur neglecto sensu proprio, ad metaphoricum sit confugiendum. An *verba ipsa* metaphoricum potius, quam realem exprimunt ignem? Immo nisi adiuncta id ostendant, τὸ πῦρ numquam de metaphorico, semper de reali igne explicabitur. Sed *rei natura* non patitur, ut sensus proprius teneatur? Cur enimvero? Quod neque diabolus et angeli eius, neque reproborum animae reali igne aduri possint. Subtiliter: verum cur aduri non possunt? Quod cum sint spiritus, actionem materiae, quae motu tantum expleri potest, subire nequeant. Atqui illam nihilominus subeunt animae, quamdiu corpus informant. An desinunt esse spiritus, quum vehementioris caloris affectione cruciantur? Relationes inter materiam et spiritum non adeo nobis sunt compertae, ut affirmare indubitanter possimus, quid fieri possit, quid repugnet.

Intelligimus materialis commotionis capaces non esse spiritus, utpote qui neque extensi sint, neque resistant; at non aeque intelligimus, utrum non alius praesto sit modus, quo fiat, ut pro certo definitoque materiae motu, quibusdam sensationibus spiritus afficiantur. Id experientia docemur, certis quibusdam corporis organici commotionibus affectiones animi modo iucundas, nunc molestas respondere. Ita fieri pro certo scimus; quomodo fiat, ignoramus.

Ergo quae obiicitur pugna, ut verborum proprietas excludatur, nulla est. Retinebimus itaque verborum proprietatem.

13. Eo vel magis, quod sensus metaphoricus magnis omnino rationibus confutetur.

39) Cf. n. 2.

Confutatur commate quadragesimo sexto, quo exequutio sententiae describitur. Etenim prolata sententia Christi, πορεύεσθε εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, *discedite in ignem aeternum*, subditur, quod οἱ κατηραμένοι ἀπελεύσονται, *maledicti ibunt* — quo, obsecro? Videlicet in ignem metaphoricum. Inepte et absurde.

Confutatur comparatione instituta electos inter et reprobos. De electis dicitur, quod possidebunt regnum iis paratum a constitutione mundi 40), et quod ibunt εἰς ζωὴν αἰώνιον 41). Sed, opinor, reale erit regnum, quod iusti possidebunt, et realis vita, qua fruentur. Quis ergo ambigat, utrum realis quoque futurus sit *ignis*, quo reprobi cruciabuntur, et reale *supplicium*, quo punientur?

Confutatur ex verbo *parare*, quo 42) utitur Christus. Electos alloquens ait: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* et ad reprobos: *Discedite in ignem aeternum paratum diabolo et angelis eius.* Age iam, cuiusmodi censeri debet regnum electis paratum ab origine mundi? Num metaphoricum? Sed quis eo usque fabuletur? Ergo realis pariter, et non metaphoricus erit ignis diabolo et angelis eius paratus.

Tandem quid futurum sit consequens ex discessu εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, explicatur commate quadragesimo sexto his verbis: *Et ibunt maledicti* εἰς κόλασιν αἰώνιον, *in supplicium aeternum.* Ergo effectus ex igne aeterno dimanans erit aeternum maledictorum supplicium. Sed realis, et non metaphorici est ignis cruciare, affligere, torquere. Ergo ignis aeternus, in quem maledicti abscedent, realis est, non metaphoricus.

THEOREMA III.

Realis inferni ignis ex iis comprobatur, quae eidem in Novo Testamento attribuuntur.

14. Demonstratio. Proprietates et attributa ea sunt, quae rerum naturas declarant, et ex quibus, cuiusmodi res sint, certo cognoscitur. Atqui ea de igne inferni dicuntur in Novo Testamento, et ea illi adscribuntur, quae ignem realem demonstrant, metaphorico non conveniunt. Huc opportune retuleris τὴν κάμινον τοῦ πυρός, *caminum ignis*, ubi zizania, id est, reprobi comburentur 43): huc τὴν λίμνην τὴν καιομένην πυρὶ καὶ θείῳ, *stagnum ardentem igne et sulphure* 44), in quem proiicientur omnes, qui ad coelestem Ierusalem non pertinent: huc τὸν καπνὸν τοῦ βασανισμοῦ, *fumum tormentorum* 45), qui ascendit in saecula saeculorum: huc φλόγα, ἐν ᾗ ὀδυνῶνται, *flammam, in qua cruciantur* qui damnati

40) Matth. XXV. 34.
41) Ibid. v. 46.
42) Matth. XXV. 34, 41.
43) Ibid. XIII. 42.
44) Apoc. XXI. 8.
45) Ibid. XIV. 11.

sunt 46): huc πυρὸς ζῆλον 47), qua *ignis aemulatione* consumentur adversarii: huc πῦρ τὸ ἀσβεστον, *ignem inextinguibilem* 48), quo punientur scelesti: et huc πυρὸς φλόγα, διδόντα ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι θεόν, *flammam ignis de iis vindictam sumentis qui Deum non noverunt* 49).

At quis non intelligat, eiusmodi haec esse, quae reali igni conveniunt, metaphorico vix non repugnant? Quis de metaphorico loquens igne, *camini* meminerit, *fumi*, *stagni*, *flammae*, *adustionis?* Si haec demonstrando igni reali non sufficiunt, quaenam, quaeso, sufficient? Repetitur, ingeminatur *ignis* vocabulum: repetuntur, ingeminantur, quae ignis realis propria sunt, quae illum comitantur; quis ergo dubitare pergat, utrum realis sit ignis, de quo Scripturae loquuntur, et quo reprobi cruciandi perhibentur?

THEOREMA IV.

Realis inferni ignis ex iis comprobatur, quae eidem in Vetere Testamento tribuuntur.

15. Demonstratio. Si mihi esset animus omnia et singula referre, quae huc spectantia occurrunt in Vetere Testamento, prolixam, neque tamen necessariam adgrederer operam. Contentus ero aliquot testimonia retulisse. In Psalmis legimus 50): *Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et rursum 51): *Pones eos ut clibanum ignis. . . . Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Penes Iobum 52): *Omnes tenebrae absconditae sunt in occultis eius: devorabit eum ignis, qui non succenditur.* Apud Isaiam 53): *Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigae eius: reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem.* Et iterum 54): *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* In prophetia Malachiae 55): *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens.*

Iamvero quis arbitretur, istis coloribus non realem ignem, sed metaphoricum depingi? De igne agitur, qui urit, qui in flammam excrescit, qui devorat, qui non extinguitur, et prae quo reprobi sunt instar stipulae succendendae. Sed haec ignem realem demonstrant, neque detorqueri ad ignem metaphoricum sine violentia possunt.

46) Luc. XVI. 24.
47) Hebr. X. 27.
48) Marc. IX. 44.
49) II. Thess. I. 8: *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.*
50) Ps. X. 7.
51) Ps. XX. 10.
52) Iob. XX. 26.
53) Isaiae LXVI. 15, 16.
54) Ibid. v. 24.
55) Malach. IV. 1.

THEOREMA V.

Realis inferni ignis aliis Scripturarum locis comprobatur.

16. Demonstratio. Non uno constat exemplo, hominum peccata a Deo fuisse igne punita. In sodomitas suam Deus exercuit ultionem igne 56): *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de coelo.* Nadab et Abiu thurificantes igne profano, igne coelesti consumpti sunt 57): *Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino.* Duo quinquagenarii principes ad Eliam missi igne coelitus immisso cum ipsorum militibus comburuntur 58): *Ecce descendit ignis de coelo, et devoravit duos principes quinquagenarios . . . , et quinquagenos, qui cum eis erant.* Petrus vero contestatur 59), quod *adveniet dies Domini, ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur.*

Nihil ergo ex analogia bibliorum evidentius, quam quod consueverit Deus igne in improbos animadvertere, atque igne veluti instrumento uti, quo suam iustitiam exerceat. Cum ergo toties, atque modis adeo variis repetatur, igne puniri reprobos, illos in caminum ignis detrudi, flammis comburi; quis ferat, proprio neglecto sensu, metaphoricas interpretationes obtrudi? Qui sic agunt, bibliorum analogiae repugnant, et non interpretes, sed corruptores dicendi sunt.

THEOREMA VI.

Realis inferni ignis comprobatur ex gehennae nomine.

17. Demonstratio. Quemadmodum plura alia in bibliis Novi Testamenti recurrunt hebraica, vel syriaca, non graeca: ut ἀββᾶ 60), ἀλληλούια 61), et ἀμὴν passim: βελίαλ 62), μαμωνᾶ 63), μεσσίας 64), πάσχα 65), ῥαββί 66), ῥαββονί 67), vel etiam ῥαββουνί 68), ῥακά 69), σαβαώθ 70), σάββατον 71), σαββατισμός 72), σατανᾶς 73), σίκερα 74), ὡσαννά 75); sic hebraico nomine

56) Gen. XIX. 24.
57) Lev. X. 2.
58) IV. Reg. I. 14.
59) II. Petr. III. 10.
60) Marc. XIV. 36. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6.
61) Apoc. XIX. 1, 3, 4, 6.
62) II. Cor. VI. 15.
63) Matth. VI. 24.
64) Ioh. I. 41, IV. 25.
65) Matth. XXVI. 2, 18, atque alibi.
66) Matth. XXIII. 7, 8, XXVI. 25, 49, Marc. IX. 5, XI. 21, et apud Iohannem frequenter.
67) Marc. X. 51.
68) Ioh. XX. 16.
69) Matth. V. 22.
70) Rom. IX. 29, Iacob. V. 4.
71) Ioh. V. 9, et alibi crebro.
72) Hebr. IV. 9.
73) II. Cor. XII. 7, Matth. IV. 10, et alibi.
74) Luc. I. 15.
75) Matth. XXI. 9, 15, Marc. XI. 9, 10.

γέεννα vel absolute usurpato, vel explicatione adiecta, infernae reproborum sedes explicantur: ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *reus erit gehennae ignis* 76): εἰς γέενναν, *in gehennam* 77): ἐν γεέννῃ 78), εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *in gehennam ignis* 79): υἱὸν γεέννης, *filium gehennae* 80): πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς γεέννης, *quomodo fugietis a iudicio gehennae* 81): εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, *in gehennam, in ignem inextinguibilem* 82): εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *in gehennam ignis* 83): ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν, *mittere in gehennam* 84): et γλῶσσα . . . φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης, *lingua inflammata a gehenna* 85).

Verum quid ex hac animadversione colligimus, quod ad rem nostram faciat? Reprobos in imis inferni sedibus reali igne torqueri. Sane id ostendit cum periphrasis plus semel adiecta voci gehennae, tum ipsius nominis gehennae derivatio.

18. *Periphrasis* adiecta duplex est, vel nude τὸ πῦρ, vel τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον. Sed utraque periphrasi realis ignis exprimitur. Ergo in imis inferni sedibus reali igni torquentur reprobi.

Iam de nominis gehennae *derivatione*. Salomon Glassius, in *Appendice ad grammaticam sacram* 86), laudat tamquam excogitatam subtiliter hanc Bartholomaei Westhemeri 87) etymologiam: « *Gehennam* Hieronymus dictam putat a valle filii Hinnom, de qua Ier. VII. 88). Sed qua ratione, quave consequentia, sive rei, sive vocis, non video. Proinde gehennam ignis equidem dixisse Dominum puto, deducto nomine a verbo hebraeo *innah*, עָנָה, quod significat, *afflixit*, unde *inian*, עִנְיָן, quod *afflictionem* et *molestiam* significat. Iam creberrimum est graecis et latinis, litteram γ vel *g* praeponere dictionibus hebraicis incipientibus ab ע, ut vel in nomine γομορρα manifestum fit. Hebraei enim efferunt *amorah*, עֲמוֹרָה. Unde *inian* graeci dixere suo more γέενναν pro *inian*, id est, *cruciatu*. » Hactenus ille, sed si quid video, frustra.

Nam I. provocat quidem ad graecos, latinosque scriptores, ut demonstret consuevisse illos vocibus hebraicis per ע incipientibus praemittere γ vel *g;* sed exempla non affert, quibus hunc usum *creberrimum* persuadeat. Immo neque proferre potest, si de scriptoribus profanis agatur.

Quod si II. quaestio ad auctores bibliorum restringatur, Westhemeri affirmatio non est facilioris probationis. Profecto exemplum vocis עֲמוֹרָה non est crebri usus indicium. Atqui alia si quaeras exempla ע mutati

76) Matth. V. 22.
77) Ibid. vv. 29, 30.
78) Ibid. X. 28.
79) Ibid. XVIII. 9.
80) Ibid. XXIII. 15.
81) Ibid. v. 33.
82) Marc. IX. 42, 45.
83) Ibid. v. 47.
84) Luc. XII. 5.
85) Iacob. III. 6.
86) Tractatu III. de nomine proprio.
87) In libro *De tropis Scripturae sacrae* pag. 78.
88) Ierem. VII. 32.

in γ, vix reperies praeter עַזָּה, γάζα, et עֲמֹר, γόμορ. Ergo creberrimus huius sive mutationis, sive additionis usus fingitur.

Immo III., quod caput est, si id aliquando contingit, non fit nisi in nominibus propriis, cuiusmodi sunt Gomorrha, et Gaza, vel in uno, alterove nomine τεχνικῷ, cuius significatio uno vocabulo reddi nequit, ut γόμορ. Quod interpretes ideo faciunt, quia illis cordi est non verba ipsa explicare, sed quoad eius fieri potest, concinnius efferre. Sed nullatenus fieri potuit, ut e voce עִנְיָן effingerent γέεννα, quia עִנְיָן, *afflictio*, nomen appellativum rei est, et quod facile voce graeca exprimitur. Si ea evangelistis, si Iacobo mens fuisset, dixissent θλῖψιν, ταλαιπωρίαν, βάσανον, non γέενναν.

Ergo non erat, cur Westhemerus Hieronymi etymologiam notaret, quam vulgo eruditiores interpretes complectuntur. Lightfootus in *Horis hebraicis* 89): « Iudaei orcum, sive locum damnatorum, usitatissime per vocem גהנום *gehinnom* effantur, quod infinitis exemplis demonstrari posset: a valle *Hinnom* desumpta phraseologia, loco ob foedam idololatriam, infantum Molecho tostorum ululatus, elatas sordes, et perpetuum ignem infami, atque ad inferorum horrorem repraesentandum quam aptissimo... Chaldaeus paraphrastes in Esai. XXXIII. 14. 90): גהנום יקידות עלם, *gehenna ignis aeterni*, γέεννα πυρὸς αἰωνίου. »

19. Paucis, γέεννα est hebraeum גֵּי־הִנֹּם, *gehinnom*, vel *vallis Hinnom* 91), quae etiam dicebatur גֵּל־בֶּן־הִנֹּם, *vallis filii Hinnom* 92). In ea horribilis τεκνοφονία per ignem, in cultum Molochi idoli, exercebatur 93).

In eadem valle locus erat excelsior *tophet* dictus, in quo saeva illa immolatio liberorum exercebatur. Buxtorfius in *Lexico* 94) ex rabbinis tradit, הִנֹּם dici ἀπὸ τοῦ נַהַם, *rugitu*, seu clamore puerorum immolatorum: תֹּפֶת vero a תֻּפִּים, *tympanis*, quae pulsabantur, ne parentes eiulatum puerorum audirent.

Cum itaque et *gehinnom*, et *tophet* haec esset significatio: cum auditis hisce nominibus, animo actutum succurrerent inauditi cruciatus, qui igne potissimum exercebantur; factum est ut infernae sedes γέεννα nuncuparentur, et γέεννα veluti typus poenarum inferni repraesentaretur. Itaque derivatione nominis considerata, perspicuum est, igne ceu potissimo instrumento reprobos torqueri, et realem esse ignem, quo iidem comburuntur.

89) Ad Matth. V. 22.

90) Vulgatus interpres: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

91) Ios. XV. 8.

92) Ierem. VII. 32.

93) II. Reg. XXI. 6. XXIII. 10, II. Paral. XXVIII. 3, Ier. VII. 31, XIX. 3—4—6 XXXII. 35.

94) Op. cit. p. 108.

THEOREMA VII.

Realis inferni ignis probatur ex usu loquendi bibliorum.

20. Demonstratio. Praeclare animadvertit Chrysostomus 95), in evangeliis saepius gehennam intentari, quam coelum promitti. Atqui licet adeo frequens sit gehennae mentio, atque adeo varia et multiplex descriptio poenarum, quae reprobos manent; numquam tamen vel diserte et explicite, vel implicite et subobscure indicatur, metaphorice esse accipienda, quae de igne, de flammis, de ardoribus sempiternis praedicuntur. Quid igitur statuemus? Quod res omnium gravissima et tantopere inculcata, semper metaphorice, numquam proprie expressa fuerit, et tamen indicium nullum metaphoricae loquutionis fuerit exhibitum? Sed hoc ab omni veri specie abhorret.

Accedit, quod humanus usus, et humana consuetudo non patitur, ut semper loquamur metaphorice. Communis oratio propria esse debet, metaphorica rarior, et quae detegi facile possit.

Praeterea, nullum doctrinae caput in bibliis facile invenies, quod si interdum metaphorice traditur, non frequentius, vel saltem aliquando propriis terminis efferatur. Qui ergo fieri potuit, ut numquam vel semel propriis terminis explicaretur, quaenam futurae essent reproborum poenae?

Denique iungantur simul quaecumque de poenis inferni leguntur in bibliis, atque uno mentis prope adspectu considerentur: *Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent* 96): *ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit* 97): *vindicta carnis impii, ignis et vermis* 98): *pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis* 99): *ibunt in gehennam ignis* 100), *in caminum ignis* 101), *in stagnum ignis ardentis sulphure* 102), *in stagnum ignis et sulphuris* 103), *in ignem aeternum* 104), . . . Quid, quaeso, ista demonstrant? Metaphoricum ignem, an realem? Ausim dicere, humano idiomate ignem realem exprimi non posse, si eiusmodi loquendi formis perspicuis adeo et manifestis non exprimitur.

95) Homilia in Ps. VII.
96) Ps. CXXXIX. 11.
97) Ierem. XV. 14.
98) Eccli. VII. 19.
99) Ps. XX. 10.
100) Marc. IX. 44, 46.
101) Matth. XIII. 42.
102) Apoc. XIX. 20.
103) Ibid. XX. 9.
104) Matth. XXV. 41. . . . .

THEOREMA VIII.

Realis inferni ignis non una re ab eo differt, cuius experimentum quotidie capimus.

21. Demonstratio. Principalis efficiens caussa ignis praesentis vitae Deus est naturae auctor, et gubernator: at ignis inferni, Deus est peccatorum et peccantium iudex et ultor.

Chimicis operationibus et succenditur et fovetur praesens ignis: at ignis infernus flatu Domini cietur et conservatur.

Praesens ignis nonnisi mediis corporibus in animas agit: at ignis infernus illas immediate torquet et cruciat.

Praesens ignis tandem extinguetur: at infernus ignis perpetuum durabit.

Ille lucet, hic tenebras parit exteriores: ille inflammando dissolvit et consumit, hic angit et urit, neque tamen destruit: ille et imminui et extingui humana arte potest, hic conatus omnes eludit, et Dei virtute sustentatur.

COROLLARIUM I.

22. Ergo ad quaestionem, utrum infernus ignis idem cum illo sit, quo in praesenti vita utimur, responderi debet, eumdem quidem esse, si potissimus spectetur effectus torquendi et urendi; verum a praesenti igne admodum differre, si alii effectus 105), modusque agendi considerentur.

COROLLARIUM II.

23. Hinc nullius plane momenti censeri debent difficultates, quae contra realem inferni ignem ex effectibus et proprietatibus ignis nobis usitati moventur: quod iste ardeat, sed consumat; inflammet, sed luceat, ... Neque enim cum realem dicimus inferni ignem, eumdem illum esse cum igne hoc nostro affirmamus.

Realem illum dicimus, ut metaphoricum esse negemus: realem dicimus propter reales comburendi, torrendique effectus: realem di-

105) Quos n. 21. enumeravimus.

cimus, quod non apprehensione tantum, sed revera existat, et instrumentalis sit caussa, qua Deus punit reprobos, damnatosque affligit. Ceterum ultro damus, immo docemus, non una re ab igne praesenti distare.

Neque tamen eo quod non una re ab igne praesenti distet, consequitur aut metaphoricum illum esse, vel non esse realem. Tamdiu *realis* ignis dicetur et erit, quamdiu in reprobos id affectionum genus pariet, quod usitati ignis proprium est, et quamdiu Deus illo utetur veluti medio et instrumento, quo in reprobos animadvertat.

SYNOPSIS THEOREMATUM

COMMENT. I. DE AETERNITATE POENARUM

BIBLIORUM DOCTRINA

THEOR. I. Aeternitas poenarum iis testimoniis asseritur, quae inferni poenas *diserte* appellant aeternas . . . . . pag. 8

THEOR. II. Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus eaedem duraturae dicuntur in saecula saeculorum 13

THEOR. III. Aeternitas poenarum iis testimoniis efficitur, quibus *diserte* atque *explicite* earumdem finis negatur 17

THEOR. IV. Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus duratio praemii divinitus constituti cum poenae duratione confertur . . . 19

THEOR. V. Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus spes omnis *damnatis* adimitur futurae redemptionis vel liberationis . . 21

THEOR. VI. Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quibus *malis angelis* spes omnis liberationis denegatur 25

THEOR. VII. Poenarum aeternitas iis efficitur testimoniis, quae demonstrant, λύτρον infiniti pretii fuisse necessarium, ut homines a peccatis et poena peccatis debita eximerentur 26

COMMENT. II. DE AETERNITATE POENARUM

RATIONIS IUDICIUM

I.

THEOR. I. Bene consulta ratio nullam in eo deprehendit pugnam, quod Deus praestituerit certum quoddam tempus, quo elapso, peccatoribus nulla spes sit reliqua condonationis obtinendae 33

II.

THEOR. II. Bene consulta ratio *nullam* in eo *pugnam deprehendit*, quod tempus obtinendae veniae a Deo praestitutum, mortalis vitae finibus coerceatur 34

THEOR. III. Cum *principiis rationis* apprime *congruit*, ut qui sunt limites praesentis vitae, hi quoque censeantur limites consequendae veniae 35

III.

THEOR. IV. Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod qui peccato obnoxius vita fungitur, is tamdiu poenam luat, quamdiu existit 36
THEOR. V. Bene consulta ratio nihil in eo deprehendit absurdi, quod qui moriuntur culpa obstricti, poenas luant perpetuo duraturas . . 37

IV.

THEOR. VI. Bene consulta ratio *nihil* in eo *deprehendit absurdi*, quod Deus leges suas eiusmodi *privativis* poenis sanciat, quae perpetuo durent 38
THEOR. VII. Bene consulta ratio *nihil* in eo *deprehendit absurdi*, quod divinae leges poenis *positivis*, eisdemque perpetuis sanciantur . . 39
THEOR. VIII. Bene consulta ratio *probat*, quod divinae leges poenis perpetuis cum *privativis* tum *positivis* sanciantur . . . . . ibid.

V.

THEOR. IX. Bene consulta ratio quin damnet, *probat*, homines qui e vita excedunt peccato obstricti, *continuo* in poenas incidere *perpetuas* . 43

VI.

THEOR. X. Revelatio quae doceat perpetuis poenis eos esse plectendos, qui e vita excedant peccato obnoxii, nihil continet, quod rationi adversetur, immo quod cum ratione non bene *consentiat* . 44
THEOR. XI. Revelatio *christiana* quae docet homines qui inexpiati moriuntur, plectendos esse continuo poenis perpetuis, quin rationi adversetur, cum ratione *amice conspirat* . . . . . ibid.

COMMENT. DE IGNE INFERNO.

I.

THEOR. I. *Explanatur* Christi in reprobos sententia 48
THEOR. II. Argumentis ex sententia Christi petitis *ostenditur*, infernum ignem non esse metaphoricum 51

II.

THEOR. III. Realis inferni ignis ex iis comprobatur, quae eidem in *Novo Testamento* attribuuntur 52
THEOR. IV. Realis inferni ignis ex iis comprobatur, quae eidem in *Vetere Testamento* attribuuntur 53

III.

THEOR. V. Realis inferni ignis aliis Scripturarum locis comprobatur . . 54
THEOR. VI. Realis inferni ignis comprobatur ex gehennae nomine . . ibid.
THEOR. VII. Realis inferni ignis probatur ex usu loquendi bibliorum . . 57

IV.

THEOR. VIII. Realis inferni ignis non una re ab eo differt, cuius experimentum quotidie capimus 58

REIMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. O. P. S. P. A. Magister

REIMPRIMATUR

Fr. A. Ligi Bussi Archiep. Iconien. Vicesgerens.

237.3
P 266
22510
PASSAGLIA, CAROLI, S.J.
AUTHOR
De Aeternitate Poenarum
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBPL
22510